QUAESTIONUM PINDARICARUM
SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

D. XXII. M. FEBRUARII A. MDCCCLXIV. HORA XII.

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS FRIESLAND

HANNOVERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

H. STEINIKE, DR. PHIL. DES.
F. GOLDMANN, PHILOL. STUD. SEM. REG. SOD. ORD.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

VIRO

CLARISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

HENRICO GUILELMO BARTSCH

DR. IUR.

PATERNO AMICO

HASCE PAGINAS GRATAS

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Ex Graecorum poesi quum genus epicum et dramaticum tam integra manserint ad nostram memoriam, ut interiorem utriusque scientiam habeamus, poetarum lyricorum exigua fragmenta haec in tempora duraverunt. Aliae enim artis lyricae partes prorsus interierunt, aliarum tam pauca eaque trunca relicta sunt, ut extremis solum lineamentis eas designare possimus, singula accuratius depingere non liceat. Tantummodo unum lyricae poesis genus tam incolume servatum est, ut et ipsum penitus cognoscamus et de aliis, quae ad haec tempora non manserint, generibus judicare possimus: epiniciorum genus dico, quod quum ipsum magni momenti sit, tum Pindari maxime epinicia tam multa servata esse certe res est, qua valde gaudeas. Nam postquam singula lyricae artis genera jam laete floruerunt, lingua Graeca a poetis epicis et lyricis ad artem conformata et ad verborum sententiarumque splendorem exculta, musicae artis et saltationis variis modis diligentissimo cultu perfectis, Pindarus tempore poetarum studiis maxime idoneo, quibus virtutibus prioris aevi poetae excelluerant, eas in se ipso conjunxit et lyricam artem eximio suo ingenio mirum quantum illustravit. Itaque semqer viri docti libenti animo Pindarum tractaverunt, carmina ejus ediderunt et interpretati sunt et de re metrica Pindari scripserunt. Satis est Schneiderum, Heynium, Hermannum, Boeckhium, Dissenium nominare: e quibus Boeckhius totum poetam acutissimo ingenio complexus de metris Pindari et generis epiniciorum vera natura et carminum componendorum ratione et dialecto et genere dicendi tam eximie judicavit, ut ad ea, quae a viro doctissimo excogitata sunt, non multa accesserint. Solum de sermone Pindarico, de translationibus, comparationibus et aliis ejusmodi rebus, de quibus Boeckhius breviter disputavit, nonnulla addenda sunt.

Equidem hoc libello animum induxi de nonnullis locis carminis Olympii sexti disserere, quod quum sententiarum

magnificentia, verborum vi ac dignitate, singularum rerum dulci et perspicua compositione excellat, admodum mihi placet. Qui quidem loci ejusmodi sunt, e quibus dictionem Pindaricam bene intelligere possis: hoc autem modo rem instituam, ut primum locos ipsos tractem, deinde aliis ex Pindari carminibus exemplis ad singulos allatis, quid maxime illius proprium sit, exponam.

Olymp VI, 1. sqq.:

Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου
κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον,
πάξομεν· ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
χρὴ θέμεν τηλαυγές. κτλ.

Pollicetur initio carminis Pindarus operis instituendi faciem i. e. carminis sui introitum fulgentem sese facturum (Vs. 1—4). Recte interpretes intellexerunt poetam carmen ipsum comparare cum thalamo, quum priorem illius partem prothyris similem esse significet. Annotat autem Dissenius: „comissatio habita Stymphali in privata domo atque inde est ducta comparatio, licet splendide in majus aucta. Pindarus ab ipso loco sollemnitatis comparationem duxit, carmen quasi *θάλαμον* dicens ad haec epinicia celebranda conditum, prooemium vero *πρόθυρον*.“ Quo loco vir doctus verbis Pindari, nisi fallor, subjecit sententiam, quam ne ipse quidem poeta intendisse videatur. Nam si verbis suis significare voluisset Pindarus ipsum locum comissationis (sumimus enim, quum carmen scriberet, eum non ignorasse in thalamo Agesiae illud cantatum iri), tum thalamus ipse illustrioribus verbis exornandus ei fuisset. Sed omnem sermonis sui splendorem ad prothyra exornanda adhibet Pindarus: haec dicit bene exstructa, his promittit columnas aureas se suppositurum esse. Ex sequentibus quoque verbis *ἀρχομένου κτλ.* prothyra in priore hac sententia majoris momenti esse facile intelligi potest. Ceterum carminis nostri, quae Pindarus intelligi vult, prothyra non versu 7 finiuntur, sed versu 21. Nam qui versum 7 prooemii finem esse statuunt, ii considerent versibus 4—7 Agesiae decoris praedicandi initium solum fieri; hic enim ante oculos ponitur vir quidam virtutibus illis ornatus, quibus Agesiam quoque excel-

lere iis, quae sequuntur, Pindarus exposuit. Accedit, quod illud *πρόσωπον τηλαυγὲς ἀρχομένου ἔργου* tum solum bene videtur dictum, si graves sententiae et grandia ac copiosa verba sequuntur, quae quum in quatuor illis versibus non insint, proemii fines usque ad versum 21 pertinere mihi videntur.

Priusquam ad res singulas tractandas adeamus, quomodo hi proemii versus inter se conjuncti sint, breviter exponamus.

Nam qui Pindari carmina pauca accuratius legerit, is statim intelliget, poetam nec seriem, ut ita dicam, sententiarum apte semper conjungere nec transitum ab altera re ad alteram tam perspicuo nexu significare, ut facile eum sequi possis. Considerandum autem poetas lyricos ipsis, quas tractent, rebus ad celeriorem quendam cursum incitari eaque animi inflammatione permoveri, quae res ipsas celerrime excogitet, singularum sententiarum copulationem non curet. Aliter enim epicus poeta carmina pangit, aliter lyricus; facillime autem, quid inter eos intersit, perspicies, si Homeri narrandi rationem cum Pindaro comparaveris. Ille ab initio rem repetit et plane exponit et, qua ratione hoc ex illo sequatur, semper tam accurate narrat, ut res ipsas ante oculos nostros nascentes videamus et nihil fere sit, quod desideremus. Pindarus in medias res, ut Horatianum illud repetam, non secus ac notas auditorem rapit, haec latius exponit, illa, quae nobis magni momenti esse videantur, breviter perstringit, hinc illuc transilit: quo fit, ut ab eo, quo poeta nos deduxerit, loco in diversam regionem repente abripiamur, viam autem et rationem, qua illuc pervenerimus, vix cognoscamus [1]. Qua de re multa docte disseruerunt ii, qui de ratione carminum componendorum Pindarica scripserunt. Hoc autem agitur, artene et consilio abruptum hoc et inusitatum sermonis genus usurpaverit Pindarus, an neglecto quodammodo ordine rerum ex libidine haec copiosius tractaverit, illa coartaverit. Exposuit Bernhardyus [2]), quae Hermannus, Boeckhius, Dissenius, Welckerus de his rebus excogitaverint, et recte judicavit dissentiendum ab iis, qui in carminibus Pindaricis omnia putent consilio ac ratione dicta esse et in iis insignem poetae virtutem inesse, quae confusa et obscuritatis plena nobis videantur.

Revertamur ad id, unde egressi sumus. Incipit autem Pindarus hoc modo:

---

[1]) cf. Bernhardy Histor. Lit. Gr. II, p. 531. [2]) II, p. 536.

„Initium hujus carminis adornemus“ (*χρυσέας—πάξομεν*); „nam incipientis operis faciem splendidam facere oportet.“

Notandum autem Pindarum *ἀρχομένου δέ* dicere; ea enim, quae ratione causali, quam vocant, contineantur, disjungit poeta et singula singulis opponit. Recte Schol. annotat: „*ὁ δέ ἀντὶ τοῦ γάρ.*“ Ceterum eodem sensu Homerus particula *δέ* utitur, ut *Z*, 146.: *ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρα*, quum tempus vernum appropinquet.

Transitus autem ad ea, quae sequuntur, hic est: „Cujusque operis initium magnificum esto“ (neque enim licet *ἀρχομένου ἔργου* interpretari: „hujus operis incipientis“); „praecipue vero exordium cantus splendeat necesse est, qui in honorem viri beatissimi et sapientissimi fiat.“

„Nolite mirari tam eximium virum me vobis describere. Talis enim est Sostrati filius, quem laudare hoc carmine mihi propositum est.“ Hoc enim modo illud *γάρ* (Vs. 9.) explicandum esse videtur. Eae, quae sequuntur, sententiae particula *δέ* conjunctae ita cohaerent, Dissenio bene monente (comment. in Pind. carm. p. 62.):

„Merito Agesias praedicatur, quum labore et periculo susceptis Olympiae vicerit. Ii autem, qui sine periculo vincunt, negliguntur. Hoc unum satis est, quo permoveamur, ut Agesiam laude extollamus; sed ille sapientia quoque excellit. Quas virtutes quum conjunctas habeat Agesias, licet eum comparare cum Amphiarao, viro illo et vaticinandi et fortiter pugnandi peritissimo. Hanc illius laudem ex animi mei sententia testabor.“

Quod versu 9 legitur *δέ* vides solum ad jungendas sententias positum esse. Deinde animadvertendum illud, quod maximi ponderis est totiusque sententiae quoddam fastigium: *πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλὸν εἴ τι ποναθῇ*, positum esse post eam sententiam, quae minoris momenti est et ab ipso sententiarum nexu longius abest quam illud *πολλοὶ δέ κτλ.*

Exposuimus haec, ut intelligas etiam in nostro carmine Pindarum tantum abesse, ut singulas sententias apte colligaverit, ut tibi ipsi quaerendum sit, quae conjungere debeas. Multo vero audacius quam in hoc carmine Pindarus aliis locis singula enunciata aut prorsus disjungit, aut additis solum particulis *τέ, γάρ, καί* connectit et ab una ad alteram sententiam transilit, maxime in iis carminibus, quae adolescens Pindarus

scripsit, ut Pyth. X. Qua de re multa eximie dicta invenies in Dissenii excursu II., ubi de asyndetis Pindaricis agitur.

Ut ad initium carminis nostri redeamus, monendum est prooemia Pindarica esse artificiosissima. Quorum in plerisque deus invocatur, qui cum ipsius poetae ingenio ac munere, aut cum genere, patria, moribus ejus viri conjunctus sit, qui victoriam reportaverit. Alia carmina artis poeticae praestantiam proemiis praedicant: alia statim ab initio in medias res descendunt et victorem nominant, alia longioribus ambagibus confectis ad id, quod agitur, nos perducunt. Cujus rei praeclarum exemplum est carmen Pyth. I. Hoc enim carmine Pindarus sibi proposuit, ut Hieronem, Syracusarum regem, qui eo maxime tempore Aetnam urbem condiderat, victorem extolleret. Quod ita instituit poeta, ut primum lyrae vim et potestatem, qua non solum homines, sed etiam dii flecterentur, splendidis versibus laudaret, tum adderet, quaequae Iupiter non amaret, ea conturbari voce Pieridum audita. Inter Iovis autem inimicos etiam Typhon ille est, qui in horrendo Tartaro jacet, terris superimpositis pressus et ex Aetna monte ignium fontes evomens. Ab Aetna autem Pindarus ad Jovem Aetnaeum, inde ad Hieronem victorem transit.

Difficillimum est de Pindarica ratione prooemiorum faciendorum in universum disserere. Singula enim carmina quum ipsis, quas tractant, rebus admodum varia sint, etiam prooemia valde inter se differunt. Sed magni interest ad Pindari poesin omni ex parte cognoscendam singulorum prooemiorum rationem exquirere, qua in re interpretes et summam diligentiam adhibuerunt et aliquantum inter se dissentiunt.

Accedamus, si placet, ad carminis Olympii VII prooemium cognoscendum. Interpretandum autem illud hoc modo videtur, si verbum verbo reddimus: „Ut quis phialam, divite manu sumptam, intus vitis rore spumantem donat adolescenti genero, propinans domo domum, ex auro puro factam, quae pretiosissima est inter ejus opes, convivii decus et affinitatem suam honorans, simulque amicis praesentibus invidendum illum facit propter concors conjugium: ita ego quoque nectar fusum, Musarum donum, dulcem ingenii fructum mittens ad viros, qui certaminis praemia Olympiae et Delphis tulerunt, laetitiam iis affero“.

Ut ipsam sententiam intelligas, commemorandum est, quod Dissenius annotat, „phiala vino plena data in convivio praesentibus amicis desponderi solitas esse filias generis“. De singulis rebus nihil fere monendum. Solum de verbis *νέκταρ χυτόν* accuratius disputandum esse videtur. Primum de voce *νέκταρ* nonnulla afferamus, de qua tacent interpretes. Puto enim nostro loco *νέκταρ* alio sensu usurpatum esse atque O. I, 100. P. IX, 109., ubi deorum illum potum significat: immo hic ex proprio vocis sensu aliquid generale repetas necesse est. Nam quum Pindarus carmen suum, Musarum donum, cum potu comparet, ejusmodi nomen illi dat, quod ad Musarum divinam naturam accommodatum sit. Neque enim puto ad talem poetam efferri audaciam, ut amicis suis quamvis e nobili stirpe natis eum, quem dii Olympii bibere solent, potum offerre conetur. Manifesto autem, nisi fallor, ex alio Pindari loco apparet fieri posse, ut ea, quam modo diximus, ratione vocem *νέκταρ* explicemus. Leguntur enim I. V, 74. haec verba: *πίσω σφε Δίρκας ἁγνὸν ὕδωρ.* Saepissime autem Pindarus, ut carminum suorum naturam et rationem accuratius describat, aquam vel alias res liquidas affert et ita quidem, ut, quomodo aqua fluat, sic etiam poesis ex intimo poetae pectore continuo flumine effundi dicatur. Illud *πίσω* autem, ut Dissenius recte annotat, interpretari non licet „rigabo“, sed simpliciter est „potum dabo“. Promittit igitur Pindarus Lamponi, Themistio, aliis aquam se oblaturum eam, quam *βαθύζωνοι κόραι χρυσοπέπλου Μναμοσύνας* i. e. Musae ex Dirces fonte hauserint. Hanc ipsam, opinor, sacram aquam, cui Musae praesunt (conferri licet illud *Μοισᾶν δόσιν* O. VII, 7.), illo, quem tractamus, loco Pindarus liberiore dicendi modo usus *νέκταρ χυτόν* vocat.

Jam paucis disseram de verbo *χυτόν.* Scholiasta autem *χυτόν* interpretatur „*αὐτόχυτον καὶ αὐτόματον*“ et alio loco „*ἄκρατον*“; sed dubitaverim, num recte locum ille intellexerit, qui quum nihil amplius addiderit, non facile apparet, quid dicere voluerit. Vox *αὐτόχυτος* autem (ita Canterus ex *αὐτόχυμος* correxit) reperitur in fragmento Pindarico (Fr. inc. LXXX. Heyn.), ubi de aqua Aesculapii salubri dicitur *οὔτ' ἂν γάλα παραβάλοιο οὔτ' ἂν οἶνον ποθήσειας, ἀλλ' ἐστὶν ὥσπερ Πίνδαρος τὸ νέκταρ ἐποίησεν αὐτύχυμον, πότιμον, θείᾳ τινὶ κράσει κεκραμένον ἀρκούντως.* Fortasse hunc locum respiciens Scholiasta illud *αὐτόχυτον* apposuit ad nostrum *νέκταρ χυτόν*

explicandum, quod alio modo interpretari non poterat. Equidem credo hoc χυτόν intelligendum esse fluens vel liquidum. Haec autem vocis significatio et saepius occurrit (vide de ea Steph. Thes. ling. Gr.) et huic loco convenit.

Ut de ipsa comparatione loquamur, qua prooemium carminis Olymp. VII. nititur, cognoscamus oportet, num ad unum aliquid illa relata sit, et tertium illud comparationis, quod dicunt, totam sententiam ita regat, ut singula cum singulis congruant, et apte apodosis cum iis, quae antecedunt, conjuncta sit.

Illic socer phialam dono dat genero, hic poeta carmen suum victori dedicat; uterque magnam laetitiam affert ei, qui donum accipit. Ita prior enuntiatio et apodosis inter se consentiunt, discrepant vero hoc modo. In protasi enim copiose describitur, quo splendore quaque celebritate filia divitis viri adolescenti illi despondeatur; haec autem maximi momenti res est, quod socero propinante adolescenti in affinitatem ille accipitur. Tum phiala quoque illa extollitur, qua nihil inter opes domesticas praestantius est, et convivium his ipsis sponsalibus rite factis exornatum laudatur, et adolescens invidendus ob sponsam pulcherrimam et ditissimam praedicatur. Sed in apodosi poeta hanc simplicem sententiam „mitto tibi carmen meum" iis, quae antecedunt, non ita accommodavit, ut forma concinnitasque verborum orbem suum faciant. Nam multae singulae res in protasi dictae sunt, quas in apodosi poeta plane neglexit. Sed haec excusari possunt, quippe quae ex epica poesi Pindarus in carmina sua transtulerit. Sed oportuit poetam, quae in antecedentibus illustraverat, ea in apodosi ita continuare, ut illud δωρεῖσθαι φιάλαν et προπίνειν aliquo modo commutata repeterentur. Quod nullo modo fieri facile intelligis. Nam in priore membro comparationis vinum in phialam infusum rerum summa fuit; nunc poeta breviter dicit: „liquidum nectar vobis mitto", exemta ex illa sententia solum vini notione et ita quidem, ut nihil praeter nomen (νέκταρ) retentum, sensus prorsus alius factus sit, qua de re supra diximus. Ita, quod in protasi ornatissimis verbis Pindarus descripserat, in apodosi contractum videtur et constrictum et colorum varietate privatum. Vides autem illud χυτόν, quod supra „fluidum" interpretati sumus, appositum esse, ut φιάλα καχλ. ἀμπ. δρ. quodam modo significetur. Quae vox tam arida mihi videtur et tenuis, ut Pindarum ita scripsisse diffiderem, nisi

similia apud eum occurrerent. Hoc vero intelligis falso Schmidtium[1]) *v. χυτόν* interpretari „eingeschenkter Nektar". Primum enim Pindarus, qnum ea, quae in protasi descripserat, in apodosi omnino mutavisset et, ut breviter rem complectar, solum comparationem carminis sui cum re fluida servasset, certe non intendit, ut hac una voce addita illud *φιάλαν δωρεῖσθαι* et *προπίνειν* significaret. Deinde, etiamsi hoc voluisse poetam contenderis, concedas necesse est in priore enuntiato phialam ipsam vino plenam majorem vim habere nec magni momenti esse, quod vinum in phialam sit infusum.

Dissenius putat Pindarum carmen suum *γλυκὺν καρπὸν φρενός* appellasse, ut simile illud faceret vino: hoc enim esse *καρπὸν ἀμπέλου.* Non assentior: immo dissimilis harum rerum videtur ratio. Etenim quum Pindarus *γλ. κ. φρ.* vocaret carmen, ea usus est translatione, ut poetae ingenium arbori fertili compararet, carmina dulces ejus fructus appellaret.

Apparet ab hac comparatione, qua carminis Olymp. VII. prooemium continetur, vim illam alienam esse, quae partium singularum aequalitate et consensu efficitur. Quod jam Scholiasta sensit, qui postquam de ipsa comparatione disseruit, haec addit: *εἰ δὲ τοιαύτη ἐστὶν ἡ τῆς παραβολῆς ταύτης ἀπόδοσις μὴ θαυμάσῃς. Πολλὰ γὰρ ἂν τοιαῦτα ζητῶν εὑρήσεις.* Quare valde miror Schmidtii de hoc loco judicium, qui comparationem splendide absolutam ac perfectam esse praedicat.

Jam transeamus ad prooemium carminis Olympii I. Quo Pindarus hanc sententiam uberius exsecutus est: „Omnium ludorum praestantissimi sunt ii, qui Olympiae celebrantur". Haec est summa prooemii, de qua omnes interpretes consentiunt. Notandum autem rem aliquam, quae est magni momenti, interpretes videri neglexisse. Dissenius enim dicit (commentar. p. 6.) sensum loci hunc esse: „ut nihil per coelum praeclarius fovente solis sidere, sic Olympico ludo nihil nobilius, h. e. ut sol calore nihil habet simile in coelo, sic Olympia nobilitate inter ludos". Sed ita interpretatus Dissenius illud *ἐν ἁμέρᾳ* prorsus neglexit. Sol enim unus diurnum sidus est, nec sunt alia astra interdiu fulgentia, quae cum eo comparari possint: sed Olympia, quae aemula habent Pythia, Isthmia, Nemea, omnium aliorum certaminum praestantissima dicuntur. Itaque poetam solum haec

[1]) Leop. Schmidt: Pindar's Leben u. Dichtung (1862. Bonn.) p. 325.

dicere licebat: „Ne spectes alia sidera diurna, nam praeter solem nihil est, quod interdiu luceat". Sed quum ea, quae sequitur, sententia, qua e compluribus unum eligitur, ante mentem Pindaro obversaretur, addidit etiam *θαλπνότερον ἁλίου*, quod et a rerum natura abhorret et totius sententiae concinnitatem turbat. Recte autem Dissenius annotavit *θαλπνότερον* intelligendum esse de salubri vi solis, qua terra foveatur, nec licere illud interpretari „fulgentius". Fieri enim non potest, ut notionem lucendi bis expressam esse existimemus (*θαλπνότερον - φαεννόν*).

De initio hujus prooemii *Ἄριστον μὲν ὕδωρ κτλ.* et Scholiasta et interpretes multa scripserunt. Equidem Boeckhium secutus puto recte judicasse Aristotelem, qui Rhet. I, 7. dicit ideo optimam rem aquam vocari „*ὅτι χρῆσις ὑπερέχει*". Nec referendum videtur hoc Pindari dictum ad Thaletis placitum, de quo Scholia multa verba faciunt (*ἀρχὴ γὰρ τῶν ὅλων κατὰ Θαλῆν τὸ ὕδωρ κτλ.*). Proverbium autem fuisse hoc *ἄριστον ὕδωρ* et ex Aristotele videmus et ex eo concludere licet, quod O. III, 42. eadem sententia occurrit, et ita quidem, ut in nexu sententiarum male imposita esse videatur. Nam exstat quidem illo loco tertium comparationis, quod vocant, sed tam obscurum est et reconditum, ut tota sententia fiat injucunda.

Dubitari potest, quonam sensu Pindarus O. I, 1. proverbium illud intelligi voluerit. In ipso autem hominum usu et consuetudine ita id esse usurpatum credo, ut sensus esset: „Omnium rerum optima est aqua, sine qua vivere non possumus; praeterea multa alia pretiosa sunt, praecipue vero aurum". Ita si interpretaris, vis est in proverbio et prudentia quaedam: adhortatur enim illud homines, ne auri splendore et pretio capti omnium rerum optimum illud existiment, quod multo inferius sit aqua, qua nullo tempore homines carere possint. Puto autem nostro loco Pindarum eadem ratione proverbio usum esse, qua in hominum sermone usurpatum illud fuisse conjeci.

Aliter de hac re judicant Heynius, Thierschius, Schmidtius, alii, qui putant Pindarum ad *ἄριστον μὲν ὕδωρ* audiri voluisse „inter elementa" vel „inter res naturales, ad victum necessarias" vel aliud ejusmodi, ut loci sensus sit hic: „inter quatuor elementa aqua, inter divitias aurum, inter certamina Olympia maxime excellunt". Quod si dicere voluisset poeta, certe ali-

quid addidisset ad ἄρ. μ. ὕδ., nec licet putare Pindarum bis, hoc loco et O. III, 42., eadem ratione ea omisisse, quae ad verborum sensum recte intelligendum necessaria videantur. Deinde si ita interpretatus eris, videbis sententiam debilem fieri et fere inanem et ad prosam orationem appropinquare, quod ne fiat prohibebis, si illud ἄρ. μ. ὕδ. sensu generali acceperis.

Ceterum quoties carminis Olymp. I. prooemium legi, alienum esse sensi hoc „praestantissima rerum aqua“ ab ea, quae sequitur, sententia. Mihi quidem proverbium agglutinatum magis videtur ad prooemii summam „Olympia omnium certaminum praestantissima“, quam cum illa in unum confusum. Itaque, quod jam antea de prooemio carminis Olymp. VII. diximus, hoc loco iterum monendum est, deesse membrorum aptam compositionem, quae sola comparationem mollem et jucundam reddere possit. [1])

Addendum hic quoque Dissenium demonstrare studere, commemorationem aquae et auri accommodatam esse convivio, in quo haec oda cantata esset. Fieri potuit, ut Pindarus, quum sciret apud Hieronem carmen suum cantatum iri et domus regiae aureum apparatum significare vellet, ea de causa auri fulgorem et pretium describeret, quamquam ne de hac quidem re certi quidquam dici potest. Sed infitiandum est poetam, quum diceret ἄριστον μὲν ὕδωρ, cogitasse de aqua ea, qua in conviviis vinum temperare veteres solebant. Quae quidem consuetudo ita increbruerat et tam magni momenti erat, ut, si Pindarus convivii apparatum et bibendi modum copiosius describere voluisset, de hac re disserere debuisset. Verum si convivium paucis verbis denotare voluit poeta, certe non aqua commemoranda fuit, sed vinum ipsum. Ineptias autem Pindaro obtruderemus, si Dissenium sequeremur: qui O. III, 42. quoque

---

[1]) Laudatur hoc prooemium in „Nachtraege zu Sulzer's allgem. Theorie der schoenen Kuenste“ I, p. 71. sqq.: „Dieses aeusserst zusammengesetzte Gleichniss hat beim ersten Anblick nicht einmal den Anschein eines Gleichnisses; so verbindungslos und willkuerlich scheinen die Saetze zusammengereiht, aber um desto mehr ueberrascht uns die feine Verbindung, welche wir am Ende entdecken, wenn uns das Ganze vorliegt, dessen einzelne Theile uns anfaenglich durch die prophetische, abgebrochene Sprache mit heiligem Erstaunen erfüllen. Wie viele Bilder sind in diese wenigen Worte susammengedraengt! wie kurz sind sie alle angedeutet! wie verschlungen und in einander gezogen!

longius mihi progressus esse videtur, ubi aquam et aurum eadem fere qua nostro loco ratione ad *ξεινίας τραπέζας* accommodata esse putat.

Revertamur ad carmen Olympium VI. Ac primo quidem disseramus de hoc loco:

Vs. 12. sqq.:

Ἀγησία, τὶν δ' αἶνος ἑτοῖμος, ὃν ἐν δίκᾳ
ἀπὸ γλώσσας Ἄδραστος μάντιν Οἰκλείδαν ποτ' ἐς Ἀμφιάρηον
φθέγξατ', ἐπεὶ κτλ.

Dissenius *ἀπὸ γλώσσας φθέγγεσθαι* eadem ratione qua P. III, 2. interpretatur „palam effari, quod in animo est.“ Putat igitur Pindarum consilio hac dictione usum esse et dicere voluisse: „ita, ut omnes audire possent, clara voce.“ Equidem Heynium recte locum intellexisse existimo, qui illud *ἀπὸ γλ.* simpliciter interpretatur „ore“ et *ἁμετέρας ἀπὸ γλώσσας* (P. III, 2.) „mea lingua.“ Neque enim causa est, cur, quam Dissenius proposuit, significationem accipiamus: nam ipsis verbis illud palam effari non continetur. Hoc vero semper spectare nos oportet, ut ex sententiarum nexu singula explicemus et ex ipsa re verborum significationem sumamus.

Saepius apud scriptores veterum *ἀπὸ γλώσσης λέγειν, ἀπὸ γλώσσης σημαίνειν*, similia reperiuntur: quorum aliis locis alius usus est. Ut exempla afferam, Soph. Oed. Col. 936. opposita sunt *τῷ νῷ* et *ἀπὸ τῆς γλώσσης*; sensus autem hic est: „quod sentio et dico, idem est.“ Apud Thucyd. VII 10. legitur: *ὅσα τε ἀπὸ γλώσσης εἴρητο*, quae quidem opponuntur iis, quae literis perscripta sunt. Alio modo Aesch. Ag. 786. *ἀπὸ γλώσσης* usurpatum; contrarium enim est rei statui, ut Bloomfieldius (Glossar. ad Aesch. Ag. p. 219.) annotavit. Sed nullus, opinor, locus exstat, ubi *ἀπὸ γλώσσης* conjunctum cum verbo dicendi significet „palam dicere.“ Nam P. III, 2. plane aliter res sese habet ac Dissenius putat, qui „palam eloqui“ interpretatur. Hic enim *ἁμετέρας ἀπὸ γλώσσας* contrarium est illi *κοινὸν ἔπος*, et sensus loci hic est: „quod omnes sentiunt, ego, chorus, verbis exprimo.“

Mihi videtur hoc *ἀπὸ γλ.* inter ea enumerandum esse, quae Pindarus ex Homerica poesi in suam ipsius recepit et immutata servavit. Notissimum enim est epicum poetam non modo res ipsas accurate enarrare et sententias verbis multis et

splendidis exornare, sed etiam verba tantopere accumulare, ut dicas supervacanea eum afferre et inutilia. Satis est afferre *βῆ δ᾽ ἰέναι*, *ᾤχετ᾽ ἰών*, *χείρεσσι λαβών*. Quod fusius dicendi genus maxime reperies in locutionibus iis, quae notionem dicendi exprimunt: ut *ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν — ἔπος τ᾽ ἔφατ᾽ ἔκ τ᾽ ὀνόμαζεν — καὶ τοῖον φάτο μῦθον ἀπὸ στόματος τ᾽ ἀγόρευεν* (Batrach. 74.). Eodem modo Pindarus ad *ἐφθέγξατο* videtur addidisse *ἀπὸ γλ.* Nobis haec displicent, praecipue in poeta lyrico, quem judicamus oportere brevitati magis operam dare quam isti verbositati, quae quum singulas res latius producat et distendat, eos, qui audiunt, non modo non delectat, sed etiam defatigat.

Permulti autem Pindaricorum carminum loci afferri possunt, ubi latitudinem istam ex epico genere dicendi sumptam poeta usurpaverit, qua Pindaricae poesis dignitas quin valde imminuatur, nemo est qui dubitet. Quod paucis exemplis illustrabimus. Ac primo quidem agemus de versu 56 carminis Olymp. VII.:

φανερὰν ἐν πελάγει Ῥόδον ἔμμεν ποντίῳ,

quem locum ut recte intelligamus, quaerendum, quae sit vocis *πέλαγος* significatio et apud alios scriptores et aliis Pindari carminum locis. Apud Homerum autem *πέλαγος* est mare, imprimis altum mare. Eodem modo Hesiodus mare appellat *πέλαγος*, qua voce *Πόντος* describitur (Theog. 132.: *ἡ δὲ [Γαῖα] καὶ ἀτρύγετον πέλαγος τέκεν, οἴδματι θῦον, Πόντον*). Tragici quoque poetae ita hac voce utuntur, ut solum mare significetur. Occurrit apud Aeschylum *πέλαγος Στρυμόνιον*, mare Str., *π. Αἰγαῖον* et sensu translato *πέλαγος δύης*, *μέγα πέλαγος κακῶν*, *πέλαγος ἄτης*. In Pindari carminibus sexies vox *πέλαγος* reperitur excepto illo, quem memoravimus, loco; N. IV, 49.: *ἐν Εὐξείνῳ πελάγει*, in mari Euxino; N. III, 23.: *ἐν πελάγεσι*, in maribus; Fr. 239, 2. (Boeckh.): *πελάγει ἐν πολυχρύσοιο πλούτου*, in mari divitiarum; P. IV, 40.: (*βώλακα*) *ὑγρῷ πελάγει σπομέναν*, glebam humidum mare (aquarum cursum) sequentem; P. IV, 251.: *ἐν Ὠκεανοῦ πελάγεσσι*, in maribus Oceani. Ad hosce locos significatio maris bene quadrat. De reliquis aliter judicandum est. Vides enim Fr. 259. (*ἐν πόντου πελάγει*) et O. VII, 56. malum sensum fieri, si *πέλαγος* „mare" interpreteris. Secundum sententiarum nexum *ἐν π. π.* est „in profun-

do mari“ (Boeckhius vertit „in maris unda“) et *φανερὰν ἐν πελ. π. Ῥ.*: „conspicuam in summo aequore Rhodum.“ Quod quum ex ipsis verbis intelligas, tum apparet ex iis, quae illis verbis opposita sunt, *ἁλμυροῖς ἐν βένθεσιν.* Attamen sumas necesse est, etiam iis locis, quos ultimos attuli, ipsum mare Pindarum intelligi voluisse. Nam quum in universum eam verborum significationem Pindarus retineat, quam et ii, qui ante eum vixerunt, et, qui eodem tempore scripsit, Aeschylus praebent, fieri non potest, ut existimemus hujus ipsius vocabuli notionem ita Pindarum dilatasse, ut, quum *πέλαγος* antea solum mare significaret, in Pindari carminibus et mare illud esset et profundum maris et summum aequor.

Itaque Pindarus O. VII, 56. eodem modo *ποντίῳ* videtur adjecisse ad *πελάγει*, ac supra ad *ἐφθέγξατο* addiderat *ἀπὸ γλώσσας*. Fr. 255. Iacobsius (Animadv. ad Anthol. I, 1. p. 180.) quum frigidam talem verborum compositionem esse sentiret, *πελάγει* correxit in *πλακί*. Qua de conjectura alio loco disserendum est.

Vides autem hanc verborum coacervationem tantum abesse, ut orationi venustatem afferat, ut dura sit et molesta et abhorreat a suavi illa et jucunda simplicitate, quae lyricae poesis propria esse debet. Quodsi versum 56 carminis Ol. VII. comparaveris cum versu 57: *ἁλμυροῖς δ' ἐν βένθεσιν νᾶσον κεκρύφθαι*, senties, quid intersit inter genus dicendi vere ornatum et id, quod epithetis inanibus scriptor splendidum facere studeat.

Contendere fortasse licet apud ipsum Homerum non reperiri locos, ubi eodem atque apud Pindarum modo verba coacerventur. Nam si quis attulerit Hom. *Φ*, 59.: *πόντος ἁλὸς πολιῆς*, contra dicendum erit, vocem *ἅλς* proprie non mare esse, sed fluctus salsos: genitivo autem *ἁλὸς πολιῆς* significatur illud, ex quo *πόντος* constat („das Meer der grauen Salzflut“). Idem dicendi genus apud alios scriptores non raro occurrit, ut *πελαγίαν ἅλα* (Aesch. Pers. 427.), *ποντίας ἁλὸς οἶδμα* (Soph. Ant. 587.), *ἁλὸς ἐν πελάγεσσι* (Archil. ap. Schol. Apollon. Rh. I, 824.), *πελάγη στυγερῆς ἁλός* (Apollon. Rh. III, 349.). Neque ex iis, quas supra attuli, Homericis locutionibus et quae iis similes sunt, demonstrare potes Homerum verba ad verba ita accumulare, ut prorsus inutilia eum locutum esse appareat. Exempli gratia *βῆ ἰέναι* non idem est atque *ἔβη*, sed ipsum ho-

minis gradum epico colore pingit, et in verbis χείρεσσι λαβών dativo addito efficitur, ut res sub oculos cadat. Ejusdem generis sunt μετατρέπῃ οὐδ᾽ ἀλεγίζεις (Hom. A, 160.), φιλέουσά τε κηδομένη τε (A, 209.), κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν et alia multa, quae saepissime occurrunt Homeri carmina legentibus. Quamquam enim eadem res bis exprimitur, tamen inter singula aliquid discriminis est, quod quum non semper satis cognitum habeamus, fit saepe, ut de hac verborum coacervatione minus recte judicemus.

Saepius apud Pindarum reperies substantiva cum adjectivis ita conjuncta esse, ut, quae notio ipso substantivo expressa sit, ea adjectivo mirum in modum iterum significetur: ut P. IV, 40.: πελάγει ὑγρῷ, quem locum supra attulimus, et ἐξ ὑγρᾶς ἁλός O. VII, 69. Hoc enim epitheton ὑγρός nihil prorsus addit ad substantivum, quo id exornetur vel accuratius describatur, sed mare appellatur tale, quale nos omnes a pueris novimus. Patimur quidem epitheta substantivis tribui ea, quae, quod maxime proprium est ejus rei, quacum conjunguntur, id iterum exprimunt, si alteram rem alteri contrariam esse scriptor indicare vult (terra solida — mare humidum), aut si epitheton cum ipso orationis contextu ita consentit, ut color quidam toti sententiae tribuatur. Sed hoc non fit iis, quos modo attulimus, locis. Quod ex humido mari insula nata est, parum me tangit; quanto melius dicatur: ex profundo mari, ex versu 57 carm. Ol. VII. intelligi potest. Ac leve quiddam est, quod mare illud udum erat, quo gleba Eurypyli correpta esse dicitur, et ad res veras propius Pindarus accessisset, si fluctuosum vel rapidum illud mare nominasset. Itaque Thierschius, quum inane esse epitheton ὑγρός non ignoraret, versum 69 carm. Ol. VII. ita interpretatus est, ut neglecto adjectivo simpliciter diceret: „Bald entsprosste die Insel der Flut Tiefen."

In comparationibus quanta audacia Pindarus usus sit, docuimus in iis, quae de proemiis nonnullis Pindari antea disputata sunt. Plura de hac re invenies apud Schneiderum („Versuch über Pindar's Leben und Schriften" Strassb. 1774. p. 131. sqq.) et in „Nachträge zu Sulzer's Theorie" etc. p. 71., ubi comparationes Homericae et Pindaricae componuntur. Nunc ad

O. VI, 16.: ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς

disserendum erit de metaphoris Pindari, quod quidem dicendi genus comparationem contractam vocare licet.

Pindarus Adrastum loquentem facit: „Desidero Amphiaraum, exercitus mei oculum.“ Vides poetam hoc loco metaphora usum esse, quum hominem oculum exercitus appellet. Quaenam est vera oculorum natura? Oculi quum efficiant, ut videant homines, pretiosissima corporis pars sunt et ea, quae ad ipsam vitam laete degendam nos idoneos faciat. Deinde oculi intimam hominum naturam et indolem declarant: itaque ex iis de ipso homine judicium quoddam facere possumus. Tum oculis hominum allicimur ad ipsos aut ab iis deterremur. Denique oculi fulgore quodam excellere solent. Quibus monitis de ipsis oculis experiamur et O. VI, 16. et alios hujusmodi locos explicare.

Est autem hic, nisi fallor, sensus illius loci: „Desidero meum Amphiaraum. Nam ut oculus totum corpus regit et quasi vitam illi inspirat, ita Amphiaraus versabatur in exercitu.“ Eodem fere modo Boeckhius *ὀφϑ.* explicat, qui ad custodiam potissimum vocem referendam esse putat (vide Explicat. ad O. II, 10.). Dissenius *ὀφϑαλμός* simpliciter lumen interpretatur et Ciceronem N. D. IV, 38. annotat, ubi Corinthus et Carthago orae maritimae oculi nominantur. Sed mihi videtur plus inesse et in voce *ὀφϑ.* nostro loco et in verbis Ciceronis, qui oram maritimam tamquam corpus describit, cujus oculi sint Corinthus et Carthago. Qui oculi quum praesint corpori, principatum ejus obtinent. Sed effossis oculis ut caecus homo ora inops est et omni auxilio orbata.

Tafelio O. II, 10., ubi Theronis familia *ὀφϑαλμὸς Σικελίας* vocatur, simplex decoris significatio probatur. Sed qui hoc generali sensu vocem accipiunt, cogitent, tum solum licere a priore vocis significatione recedere, si aliter locus intelligi non possit. Verum O. II, 10. tota sententia infringitur, si nihil aliud in verbis inesse existimamus quam: Erant illi d e c u s Siciliae vel l u m e n S. Eodem modo Dissenius O. VI, 16. debilitare mihi videtur loci sensum, quum solam notionem lucendi voce *ὀφϑ.* exprimi dicat.

P. V, 52. legitur: *πύργος ἄστεος ὄμμα τε φαεννότατον.* Hic viri docti illud *ὄμμα* simpliciter interpretantur l u m e n vel s a l u s. Dissenius, ut hunc locum illustret, affert N. IV, 12., ubi legitur: *δίκᾳ ξεναρκέϊ κοινὸν φέγγος*, quod simillimum illis

verbis putare videtur. Sed N. IV, 12. Aegina omnibus hospitibus lumen est, quasi fax ignea, quae in omnia maria lucem snam emittit et homines miseros et inopes in insulam hospitalem invitat. Sed aliter P. V, 52. ὄμμα intelligendum: ξένοι enim errantes et mala fortuna oppressi cogitantur. Sicut autem, quum animi dolore affecti sumus, oculus amici animum nostrum extollit et auxilium nobis fert, ita iste Batti ὄλβος omnibus erat oculus splendidissimus. „Lumen" hic interpretari non licet, siquidem ipsum poetam, non ejus umbram reddere volumus.

Jam ad alium locum aggrediamur ex omnium consensu difficillimum P. V, 14. sqq.:

Τὸ μὲν ὅτι βασιλεὺς
ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων
ἔχει συγγενὴς
ὀφθαλμὸς αἰδοιόδατον γέρας
τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί· κτλ.

Necesse est ad nexum sententiarum cognoscendum breviter comprehendamus ea, quae antecedunt verbis *συγγενὴς ὀφθαλμός*, de quibus copiosius exponendum erit.

„Magna est vis divitiarum, si quis eas conjunctas habet virtuti sincerae et incorruptae" (Vs. 1—4).

Monendum autem *ἀρετήν* apud Pindarum saepissime eam virtutem esse, quae ad certamina ineunda semper parata est; quae significatio vocis praeter hunc locum exstat O. III, 18. N. VII, 7. I. 1, 22. I. III, 13. et aliis locis. Adjectivum *καθαρός* alio sensu hoc loco usurpatum videtur quam O. VI, 23. P. IX, 93. P. VI, 4; nam idem fere hic significat quod O. VI, 158., ubi *καθαρὸν σκᾶπτον* recte intelligunt interpretes „justum regnum". Neque enim puto hoc loco *καθαρὰν ἀρετάν* esse: virtutem late fulgentem vel conspicuam.

„Tu vero nunc, o Arcesila, redis splendidam victoriam adeptus" (V. 5—10).

„Sapientes autem melius ferunt a Diis datam potestatem" (Vs. 11. 12.).

Particula *καί* (V. 12.) apparet opponi *τὰν θεόσδοτον δύναμιν* omnibus aliis bonis, quae homines possidere solent. Sapientes ut omnia pulchrius ferunt quam homines vulgares, ita etiam potestatem a Diis datam. Significare autem vult Pindarus hac *θεοσδότῳ δυνάμει* regiam potestatem, quam ab ipso

Jove regibus datam esse Graeci praedicabant. Heynius recte intellexit, quid haec verba sibi velint. Intelligendi enim sunt ii, qui bene utuntur opibus suis et domant tristem insolentiam ac superbiam, quae nascitur ex satietate et fastidio (*κατέχει φρασὶν αἰανῆ κόρον* I. III, 2. cf. Schol. ad O. XIII, 10.).

„Justum virum te praestitisti, o Arcesila: eam enim, quam Dii tibi dederunt, potestatem sapienter administras et modice omnia agis. Itaque magna te felicitas (*ὄλβος*) circumdat“ (Vs. 13.).

Usque ad versum 14 interpretes non multum inter se dissentiunt de singularum rerum significatione. Versu 16 — 17 codices habent *ἔχει συγγενὴς ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον κτλ.*, Ceporini emendatione post *συγγ. δέ* in textum receptum est. Quod *δέ* nonnulli interpretes servarunt, Hermannus, Boeckhius, Dissenius ejiciendum putarunt. Recte enim Hermannus dicit maxime suspectas esse in locis obscurissimis tales conjecturas, quas interpretes avide arripiant, quia lucem aliquam afferre videantur. Interpretes autem hoc *δέ* textui inseruerunt, ut sententiam hanc, quae incipit ab *τὸ μὲν ὅτι βασιλεύς* et finitur in *φρενί*, dividerent ita, ut *ὅτι βασιλεύς κτλ.* non prior enuntiatio esset, sed prior pars sententiae *τὸ μὲν—φρενί*, secunda autem pars *ἔχει συγγενὴς δ' ὀφθαλμός* et quae sequuntur.

Neque infitiandum est facilius ita bonum sensum nasci, quam si lectionem *συγγενὴς ὀφθαλμός* retineamus. Recepta enim conjectura Ceporini *ὄλβος* Arcesilae ita describitur: „Felix es, o Arcesila, quia rex potens (*μεγαλᾶν πολίων*) et sapiens es; felix es hoc maxime tempore, quia coronatus ex ludis Pythiis rediisti.“ Sed experiamur oportet conservata codicum lectione locum explicare.

Tafelius (diluc. p. 754) putat *ἔχει φρενί* parenthetice insertum esse vel illustrationis gratia antecedentibus *ὅτι—πολίων* ita subnexum, ut simul intelligendum sit *δέ*. Sed objiciendum videtur Tafelio reperiri quidem apud Pindarum eam orationis figuram, quam vocant asyndeton, sed ita semper illud usurpari, ut ex sensu verborum facile aliquid reperias, quod membra conjungat (vide Dissenii exc. II.) Nostro vero loco fieri non potest, quin *δέ* vel alia particula conjunctiva addatur, si statuis verba *ἔχει—φρενί* secundum membrum esse sententiae *τὸ μὲν ὅτι—φρενί*.

Tafelius (diluc. p. 758.) multa docte attulit de vocibus *συγγενής*, *σύγγονος*, aliis hujusmodi, ut demonstraret *ὀφθαλμὸν*

συγγενῆ nihil aliud significare quam oculum tuum. Sed omnibus, quos affert Tafelius, locis adjectivis *συγγενής*, *σύντροφος*, *σύγγονος* plus inest quam notio pronominis possessivi. *Συγγενές* enim id mihi est, quod originis naturaeque artissimo vinculo mecum conjunctum est. Ita Nonn. Dionys. XLV, 93. illud *σύγγονον ἔγχος Παλλάδος* non est simpliciter „hasta Minervae“, sed ea, quae una cum dea e Jovis capite desiluit, eodemque modo Soph. Ai. 638. *οὐκ ἔτι συντρόφοις ὀργαῖς ἔμπεδος* interpretari non licet: „non jam mentis suae compos est“, sed: „non amplius inhaeret cousuetis moribus“; est enim haec sententia referenda ad ea, quae antecedunt: *ὃς ἐκ πατρῴας ἥκων γενεᾶς κτλ.*

Putat autem Tafelius Pindarum hoc loco parte hominis insigni posita ipsum hominem significare voluisse. Idem vult Scholiasta, qui annotat: „*δύναται γὰρ ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ τὸ ὅλον σῶμα σημαίνεσθαι.*“ Haec sane fiunt, sed inepte Pindarum locutum esse ponere nos oporteret, si Tafelium sequeremur. Neque exempla, quae ille affert, possunt confirmare ejus opinionem: nam in locis Sophocleis (Phil. 171. Ai. 167. 977.) illud *ὄμμα* pulcherrime est additum, et sententiarum illarum vis maxime in oculi natura posita est. Itaque imminueres poetam, si diceres ea illum figura usum esse, quam vocant partem pro toto. Addit autem Tafelius: „Quam apte in rege haec dictio electa sit, non est, quod multis ostendam. Optime enim oculus regiam potestatem dignitatemque ostendit.“ Recte quidem. Sed quid de hoc loco judicaverit vir doctus, non satis intelligo, quum supra dixerit hoc loco partem hominis insignem positam esse pro ipso, nunc ad ipsum oculum sententiam referat.

Longius de hoc loco Hermannus in Notis ad Pindarum (Diss. IV.) loquitur, cujus sententiam Boeckhius secutus est. Hi enim *συγγενὴς ὀφθαλμός* interpretantur: congenitum lumen, virtutis a natura insitae splendor. Quam verborum significationem ex multis locis Sophoclis et Euripidis et Pindari ipsius, quorum nonnullos supra attulimus, comprobari posse Hermannus putat. Et recte quidem disputat, quibus de causis oculi appellatio transferatur ad alia. „Nunc enim sola caritas indicatur — Nunc vero, quia sine oculorum lumine omnia obscura et caeca futura essent, lumen hoc vocabulo significatur.“ Sane, sed addendum est, si quis translationem sanam et rectam formare velit, id ei curandum esse, ut aliquo modo

comparari possit ea res, a qua aliquid transferatur ad aliam rem, cum ea ipsa re, ad quam illud transferatur[1]). Hac quidem ratione translationes eae, quas Hermannus affert, compositae mihi esse videntur. Nostro vero loco quum Hermannus dicat *συγγ. ὀφθ.* esse virtutis a natura insitae splendorem, ex notione oculi valde exiguam partem transfert ad novam, quam excogitavit, notionem. De oculorum natura supra monitum: ex priore autem vocis significatione loci illi explicari possunt, ubi caritatem, auxilium, alia ejusmodi inesse in voce annotant interpretes. Deinde, quin oculi splendorem quendam habeant, nemo est qui dubitet: sed haec certe posterior est significatio. Hoc ipsum Hermannus transtulit in eum, quem tractamus, locum, sed solum transtulit; quo factum est, ut *ὀφθαλμοῦ* notio plane evanuerit. Nam qua ratione inter se conjuncti sunt „oculus congenitus“ et „virtutis a natura insitae splendor?“ Putasne eos, qui huic odae cantandae intererant, quum haec verba *συγγ. ὀφθ.* audirent, ita ea intellexisse ut Hermannus putat ea intelligenda esse? Putasne Pindarum ipsum tam libere et immoderate carmina sua composuisse, ut, quae verborum propria significatio esset, prorsus negligeret et novas atque inauditas notiones iis subjiceret?

Equidem puto nihil obstare, quin hoc modo nostrum locum interpreteris. Pindarus felicitatis (*ὄλβου*) Arcesilae singulas partes enumerat et primum quidem honores ex regia auctoritate natos, deinde sapientiam, tum gloriam, quam rex ex splendida victoria nuper reportata sibi paraverat. Ipsam enim *βασιλείαν* Arcesilae Pindarus non memorat tamquam partem *ὄλβου*, sed quasi fundamentum illam putat esse ipsius felicitatis (*ὅτι βασιλεὺς κτλ.*). *Συγγενῆ ὀφθαλμόν* ita intelligo, ut *ὀφθαλμός* proprio sensu usurpatum sit; *συγγενής* referendum videtur ad regem Arcesilam. Nam *συγγ. ὀφθ.* Arcesilae est oculus is, cujus natura definita est eo, quod Arcesilas rex est; ut alio modo dicam, *συγγ. ὀφθ.* oculus est talis, qualem reges habere solent (nos: dein Koenigsauge). *al-*

[1]) Cic. de Or. III, 40, fin.: Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo. 41, fin.: Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta in alienum locum, non irruisse atque ut precario, non vi venisse videatur. — Sumpta re simili verba ejus rei propria deinceps in rem aliam transferuntur. Or. 27, 92.: Tralata ea dico, ut saepe jam, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur.

δοιότατον γέρας est honor amplissimus ac dignitas Arcesilae; *τοῦτο* autem Pindarus apposuit, ut indicaret apud omnes in honore esse Arcesilam (haec dignitas, quam nemo ignorat)[1]). His vero addidit poeta *τεᾷ φρενὶ μιγνύμενον*, ut sapientem regem Arcesilam praedicaret.

Itaque totius loci sensus hic mihi esse videtur: „Felicissimus es, o Arcesila; primum enim, quoniam potentissimus rex es, regius tuus oculus tenet spectatissimum hoc et honestissimum munus cum sapientia tua conjunctum, deinde hoc ipso tempore beatissimus es, quia ex Pythiis gloriam eximiam reportasti."

Sunt certe qui putent Pindarum dicere non potuisse „*ὀφθαλμὸς ἔχει γέρας*" eo sensu, ut vocem *ὀφθ.* propria significatione intelligeret. Sed retenta codicum lectione dubito an ea, quam proposuimus, ratio sola sit, qua locum intelligere possis.

Aggrediamur ad O. VI, 22.:

Ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων κτλ.

Quo de loco ut recte judicare possimus, nonnullos locos afferemus, ubi Pindarus ipsam poesin carminumque studium cum motu currus composuit.

Legitur I. VII, 61. 62.: *ἔσσυται τε Μοισαῖον ἅρμα Νικοκλέος μνᾶμα πυγμάχου κελαδῆσαι*, „properat Musarum currus ad monumentum canendum Nicoclis pugilis". I. II, 1. 2.: *φῶτες οἳ χρυσαμπύκων ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι*, quibus verbis significantur poetae. Dissenius annotat memoratum esse Musarum currum, quod Xenocrates Acragantinus, cui oda dicata est, curru vicisset. Certe Pindarus verbis suis hunc sensum non dedit: immo haec dictio ad analogiam locorum, quos affero, explicanda esse videtur. O. IX, 80. quoque curru vehitur poeta: *εἴην εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ.* P. X, 65. Thorax ille, qui rogat Pindarum, ut carmen scribat, ipse Musarum currum parat atque expedit, quem descendat Pindarus (cf. Tafel. diluc. p. 949. et Boeckhium, qui adjectivum *τετράορον* referri putat ad carmen ipsum, quod quatuor et strophas et antistrophas et epodos contineat). Fr. 89. Pindarus ipsum carmen *ἐρατᾶν*

---

[1]) Hermannus *γέρας* referri putat ad *ὄλβον*. Minus recte. Neque enim fieri potuit, ut Pindarus, quum felicitatem regis describere vellet, ea uteretur dicendi ratione, ut verba solum mutaret, rem ipsam retineret.

ὄχημα ἀοιδᾶν vocat, quo ex loco videre licet tales locutiones Pindaricas, quae natae sint ex comparatione duarum rerum, quasi obdurescere apud ipsum poetam et formulas, quas vocant, dicendi fieri.

Paullo aliter verba ea intelligi debent, quae O. VI, 22. exstant. Quo loco Dissenius putat Pindarum non sine consilio Agesiae currum afferre, non, ut aliis locis, currum Musarum. Tum enim solum poetam dictione *Μοισαῖον ἅρμα ἔσσονται* et similibus uti, quum clararum gentium vel heroum virtutes praedicet. Prorsus dissentio. Neque enim puto Pindarum carmina sua ita composuisse, ut odas eas, quae in familiis nobilioribus et heroibus laudandis versarentur, verbis sententiisque excelsioribus exornaret, quam eas, quibus familiarum laus contineretur, quae claritate inferiores essent. Tum ipse Agesias ex Jamidarum gente erat, qui originem ad Jamum illum retulerunt, Apollinis ipsius filium. Pindarus, opinor, ut duas res conjungeret, hoc dicendi genere usus est. Primum enim Agesiae muli laudantur, qui Olympiae tam claram victoriam reportaverant, ut digni essent, qui Pindari currum veherent. Est autem hic currus Musarum, quo poeta uti solet. Tum Pindarus ut aliis locis suam ipsius poesin extollit. Pervolare enim dicuntur muli latum poesis regnum, cujus portas iis apertum iri poeta praedicat v. 27.: *χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν αὐταῖς.* Locus autem ille, in quo Jamidarum incunabula erant, dicitur situs esse ad *κέλευθον καθαράν*, in qua Pindarus curru vehitur. Errat autem Scholiasta, qui putat verbis *χρὴ τοίνυν πύλας κτλ.* dicere voluisse poetam: „oportet mulos carmine celebrare.“ Neque Tafelius recte de hoc loco judicavit; putat enim *πύλας ὕμνων* esse exordia carminum et Pindarum intelligi voluisse: „sunt digni isti muli, qui in exordio carminis praedicentur.“ Quod si quis probaverit, duo unius carminis exordia ei sumenda erint.

Hactenus de O. VI, 22. sqq. Ornatissimo autem genere dicendi Pindarus iis locis utitur, ubi de ingenio poetico loquitur et carminum faciendorum ratione et cantu et aliis, quae huc pertinent. Quibus ex locis nonnullos eligam, de quibus disputem: ejusmodi enim sunt, ut Pindari et virtutes et vitia satis declarare possint. Antea, quae de his rebus, maxime de Musis, apud alios poetas Graecos reperiantur, paucis absolvam.

Ut de Homero primum agamus, hic fingit poetam epicum ita conjunctum esse cum Musis, ut auxilium ab iis petat, quum solus res gestas ad veritatem narrare non possit. Itaque poeta initio carminis (cf. Hom. A, 1. α, 1.) aut quum difficilem materiam tractare conatur (B, 484. sqq.), Musam aut Musas, quae Olympum incolunt, Jovis filias, invocat, ut sibi adsint inscio imperitoque et sapientiam cum poeta communicent. Hesiodus in Theogonia de origine poetarum multa affert. Sunt enim poetae ex genere Apollinis et Musarum, quas Homerum secutus Jovis filias, in Olympo habitantes vocat Hesiodus (Th. 94. sqq.). Musae autem poetis, quos *θεράποντας* habent (Th. 100.), dederunt *σκῆπτρον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον* et vocem divinam inspiraverunt, ut praeteritas res et futuras scirent (Th. 30.). Suavis autem vox fluit ab ore ejus, quem Musae *ἡδυέπειαι* amant (Th. 97.). Ut ex poetis lyricis nonnulla afferam, Alcman initio hymni cujusdam (fr. I. [1.] Bgk.) ad morem poetarum epicorum Musam canoram invocat, ut novum carmen canere incipiat. Eadem invenies apud Stesichorum fr. 36. fr. 42. [55.] Bgk. Archilochus poesin Musarum dulce donum vocat fr. I. [52.]; Solon praedicat eum, quem *Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι δῶρα* i. e. poesin docuerint, fr. 12. [4.], 51. Huc refer Anacreontem (fr. 94. [69.]) et Theognidem (V. 250.), cui suae ipsius elegiae sunt *ἀγλαὰ δῶρα Μουσάων ἰοστεφάνων.*

Apud Aeschylum ubi Musae commemorantur (Eum. 298. Suppl. 695.), carmen et cantus intelliguntur: eadem significatione vox apud ceteros poetas tragicos nonnunquam legitur.

Pindarus autem in carminibus suis saepissime loquitur de Musis et earum beneficiis erga poetas, quos Homerum aliosque secutus in clientela Musarum esse praedicat. Ipsam poesis Musam, quae *ἀδύπνοος, μελίφθογγος, ἀγλαόθρονος, ἰοβόστρυχος* vocatur, Pindarus rogat ut canat (P. I, 58.); O. X, 7. et N. IX, 1. poeta invitat Musas, ut una choream instituant (*συγκωμάζειν*), et saepissime illae a Pindaro ita describuntur, ut ipsae carminibus homines praedicare dicantur (N. VII, 77. I. II, 6.). Quo pertinent ea, quae leguntur I. VI, 23.: *φλέγεται Μοίσαις*, quod ex omnium consensu est „illustratur a Musis"; P. V, 42.: *Χάριτές σε φλέγοντι*, ubi eodem dicendi modo Pindarus utitur; N. X, 26.: *Μοίσαισι τ' ἔδωκ' ἀρόσαι*, quae verba bene Heynius interpretatus est: „üt jam esset ipsis (Mu-

sis), quo ararent agrum suum." Tum Musa poetam incitat ad canendum et auxilium ei fert (O. III, 4. P. IV, 3. I. III, 61. N. VI, 29.), quare *προφήτης Πιερίδων* poeta dicitur (fr. 60, 5.).

Quo modo quum Pindarus utatur Musarum appellatione, Homerum secutus est. Musarum curru Pindarum uti et ab illis aquam ex sacro fonte haustam accipere supra vidimus. O. VII, 7., ubi hoc Musarum donum Pindarus commemorat, carmen suum poeta *γλυκὺν καρπὸν φρενός* dicit. Vides poetae ingenium eximie comparari arbori vigenti ac florenti, quae dulces fructus ferat. Qui *καρπὸς φρενῶν* alio sensu reperitur P. II, 74., sed comparatio ad finem non perducta est. Nam quae adjiciuntur *ἔλαχε* et *ἀμώμητον* turbant imaginem quam vocant: dicendum autem *καρπόν* et *φρενῶν* quasi coaluisse in unam notionem, neque id curasse Pindarum, ut, quae adderentur his verbis, quadrarent ad arboris fructus cum hominum virtutibus comparatos. Cujus rei exempla multa reperies apud Pindarum: ex aliis poetis Aeschylum summa in his rebus audacia esse satis notum est. Ad P. II, 74. conferre licet N. X, 12., ubi *κ. φρ.* significat prudentiam.

Dignus autem memoratu ille locus est, qui exstat I. V, 1. sqq.:

> *Θάλλοντος ἀνδρῶν ὡς ὅτε συμποσίου*
> *δεύτερον κρητῆρα Μοισαίων μελέων*
> *κίρναμεν κτλ.*

quem Boeckhius cum carminis Olymp. VII prooemio composuit. Sed melius conferri potest O. VI, 91., ubi Aeneam illum, cui Pindarus carmen miserat, quo Agesiam Stymphali exciperet, vocari vides crateram cantuum clare sonantium. Quo loco confirmatur id, quod modo diximus fluctuare Pindarum in comparationibus. Nam I. V, 2. 3. haec est ratio translationis, qua utitur poeta, ut componantur ii, qui in cratera vinum misceant cum aqua, ut dulcis potus fiat, cum iis, qui modos musicos ita conjungant atque commisceant, ut nascatur canticum, quod animos delectet [1]. Contra O. VI, 91. Aeneas ipse vocatur cratera dulcisonorum carminum. Recte Dissenius locum intellexit ita eum interpretatus: „ut vinum in cratera temperatur, sic Aeneas carmina modis musicis admiscendis temperare

---

[1]) Est enim hoc loco *μέλος* modus, non carmen totum nec cantus, quem plurimi interpretes intelligi volunt. Compositis enim variis melodiis, quas vocant, cantus fit.

debet, ut suavis potus sit", quod certe Pindarus significare voluit. Sed hic locus inter eos numerandus est, ubi audacius Pindarus locutus et poetarum, quam dicunt, licentia immodice usus esse videatur. Neque enim dubitandum, quin finis quidam terminusque etiam poetis constitutus sit, extra quem egredi non liceat, neque audiendi sunt ii, qui omnia ea, propter quae poeta vituperandus est, non modo excusare, sed etiam laudibus extollere student, quippe quibus poetae splendor atque magnificentia contineantur [1]).

Ceterum ex O. VI, 91. Boeckhius et Dissenius colligendum esse putant odam in convivio cantatam esse. Diximus jam antea omni modo contendere viros doctos, ut ex carminibus ipsis discant ea, quae sunt necessaria, ut de Pindaro ipso, de viris, quibus dicatae sunt odae, eorumque gentibus certiones fiamus et, quo loco et tempore carmina acta sint, cognoscamus. Qua in re magna eaque difficillima Boeckhius ingenio ad excogitandum acutissimo quantum in lucem protulerit sciunt, qui Explicationes viri doctissimi inspexerint. Periculosam autem atque incertam viam ingrediuntur, qui hasce res investigare sibi proposuerint. Fit enim, ut scriptorum verba ita interpretentur viri docti, ut, quam sententiam ne ipse quidem poeta verbis subjecerit, illi subjicere videantur.

Ut ad ipsum locum revertar, equidem ex his paucis verbis *γλυκὺς κρητὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν* (O. VI, 91.) non puto concludi posse carmen ipsum inter pocula actum esse.

Componere licet cum locis allatis N. III, 76.: hic Pindarus carmen *πόμα ἀοίδιμον* vocat, quod lacte et dulci melle mixtis natum sit. Qui locus quomodo cum aliis ejusmodi cohaereat, Dissenius multis verbis exposuit. Qua in re nitatur haec carminis pangendi et potus miscendi comparatio, facile apparet: velut flumen quoddam poeta ex animo effundit ea, quae cogitat atque sentit, quae ubi in unum confluxerunt carmen perfectum esse dicitur. Vides Pindarum carmen comparare m a t e r i a e h u m i d a e et f l u i d a e. Quod si sumpseris, multos alios locos facile interpretaberis. Dicit I. III, 80. Pindarus de se ipso: *σὺν Ὀρσέᾳ δέ νιν κωμάζομαι τερπνὰν ἐπιστάζων χάριν*, ubi intelligis poetam, ut alio modo exprimeret hoc: „Me-

---

[1]) cf. Jacobs Nachtraege zu Sulzer's Theorie I, 72. Schneider: Pindar's Leben etc. p. 116. 134.

lissum hymno honoro", eadem, quam antea vidimus, comparatione adhibita non sine audacia dixisse: „celebro eum jucundam destillans laudem." Ut alia addam, I. V, 9. Aegina dicitur conspergi mellisonis carminibus, quocum loco conferre licet I. V, 21.: *νᾶσον ῥαινέμεν εὐλογίαις* et P. VII, 60.: *ῥαίνω ὕμνῳ* et P. IV, 137., ubi notionem loquendi hoc ipso dicendi modo usus copiose et abundanter Pindarus significavit. Petitae autem sunt ejusmodi translationes ex eo, quod agri pluviis conspersi ita recreantur et reficiuntur, ut fruges crescant et laete vireant. Ita, qui Pindari epiniciis honorantur, quasi recreati in novam quandam eandemque beatissimam vitam ingrediuntur.

Nec sunt negligendi ii loci, ubi poeta ab arcu Musarum tela emittere dicitur, quo in opere ipsa Musa poetam adjuvat, ne *παρὰ σκοπόν* tela conjiciantur (*ἐμοὶ μὲν ὦν Μοῖσα καρτερώτατον βέλος ἀλκᾶ τρέφει* O. I, 112. cf. O. IX, 8.). Aliis locis is, qui laudibus effert victorem, comparatur viro jaculatori, et ita quidem, ut, qui *σκοπόν* feriat, optime praedicare dicatur (O. I, 3. O. IX, 3. cf. Boeckhium ad O. I, 3.). Eximie autem Pindarus I. I, 64. Herodotum, qui Isthmiis victor discesserat, Pieridum splendidis alis sublatum dicit; quo de loco recte Heynius judicavit.

Addendum nonnullis carminum locis Musam significare et carmen ipsum et artem poeticam: quo licet referre P. V, 60. P. V, 107. et N. III, 28. Nam qui P. V, 107. *ἐν Μοίσαισι* intelligunt „inter Musas", audaciore interpretandi ratione utuntur. Significat enim illud: *ἐν τῇ μουσικῇ*, et ipse locus componendus est cum I. I, 64.

Restat ut de N. VII, 14. paucis absolvamus:

ἔργοις δὲ καλοῖς ἔσοπτρον ἴσαμεν ἑνὶ σὺν τρόπῳ,
εἰ Μναμοσύνας ἕκατι λιπαράμπυκος
εὕρηται ἄποινα μόχθων κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς.

Quo loco Boeckhius et Dissenius *ἔσοπτρον* putant esse illas *ῥοὰς Μοισᾶν*, quae versu 12 leguntur. Dicit autem Pindarus: „si quis in certando felix fuerit, Musarum flumini dulcem praebet materiam." Quae verba ita intelligenda sunt, ut *ῥοαί* flumen illud significent, quod poeta ex intimo pectore emittit. Quod flumen bene Musarum vocari potest, quoniam ipse poeta in Musarum potestate est. Quas *ῥοάς* cogitatione tibi fingas necesse est quasi flumen fluctuans ac turbulentum, non

tranquille decurrens: poetae enim divino quodam spiritu inflati celeres sunt animi motus. Itaque fieri non potest, ut hoc ipsum flumen speculum Pindarum appellasse existimemus. Speculo enim id solum comparare licet, quod planitiei speciem habet. Itaque judicandum est Pindarum versu 12 carmen suum flumini incitato comparasse, versu 14 speculum appellasse cantum, in quo egregia virorum facinora clare conspici possint.

Vides admodum varium esse Pindarum in ipsa poesi, Musarum dono, describenda. Qua in re ornatissimae Pindari locutiones versantur, quarum multae ad unam eandemque translationem redigi possunt, nonnullae ex se ipsis explicari debent, cujusmodi sunt quae leguntur I. III, 61.: *κεῖνον ἅψαι πυρσὸν ὕμνων*, ubi Pindarus carmen suum faci comparat in honorem Melissi (ita Dativus accipiendus videtur) incensae. Quibus ex translationibus optime ipsum poetam tibi informare potes: apparet hic maxime fieri illud, quod jam antea diximus, nunc modum tenere Pindarum, nunc extra fines egredi. Modo enim mollissimae translationes sunt et ad sententias illustrandas maxime idoneae, modo verborum conglutinatio audacior, et luxuria quaedam in transferendis verbis, quae a rerum natura longe discedat.

Aggrediamur ad alium locum carminis Olymp. sexti. Legitur v. 35.:

ἔνθα (Εὐάδνα) τραφεῖσ᾽ ὑπ᾽ Ἀπόλλωνι γλυκείας πρῶτον ἔψαυσ᾽ Ἀφροδίτας,

„Ibi educata Euadna ab Apollini compressa primum degustavit Venerem.“

Pindarus enim nonnulla verba, quae significationem tangendi, appropinquandi, miscendi praebent, libere cum substantivis et abstractis et concretis ita conjungere solet, ut notio accipiendi vel adipiscendi nascatur. Ut exempla afferam, reperitur O. I, 78.: *κράτει (ἐμὲ) πέλασον*, „fac ut victoria potiar.“ Eodem modo legitur O. I, 22.: *κράτει προσέμιξε δεσπόταν.* N. I, 17.: *μιχθεὶς φύλλοις χρυσίοις ἐλαιᾶν Ὀλυμπιάδων*, „ornatus foliis“ etc. N. II, 22.: *ἔμιχθεν ὀκτὼ στεφάνοις*, „adepti sunt octo coronas“. I. III, 3.: *μεμίχθαι εὐλογίαις ἀστῶν*, „adipisci praeconia civium.“ N. IX, 31.: *ἐπιμίξαι λαὸν ἀγλαΐαισιν*, „ad laetitiam populi animos excites.“ N. V, 42.: *ποικίλων ἔψαυσας ὕμνων* „varios adeptus et cantus.“ P. X, 78.: *ἀγλαΐαις*

απτόμεθα. P. VIII, 25.: *θίγοισα Χαρίτων* (cf. Boeckh. Explic. p. 111. — Dissen. p. 65.). Quae quidem exempla non plane ejusdem generis sunt, sed interest quiddam inter singula. Qua de re priusquam disseramus, quae ex hoc genere Homerus praebeat, si placet, videamus.

Reperitur autem apud Homerum *πελάζειν τινα κακῆς ὀδύνῃσιν* Hom. E, 766. — *συνεῖναι ὀϊζυῖ πολλῇ* η, 210. — *συνελαύνειν ἔριδι (τινά)* Υ, 134. Φ, 394.[1]) — *μισγέμεναι κακότητι καὶ ἄλγεσι (τινά)* υ, 203.

---

[1]) Addamus nonnulla de ejusmodi locutionibus Homericis. Hom. *Α*, 8.: *τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;* Heynius ita interpretatur: „Quis deorum effecit, ut venirent illi in certamen et pugnarent?" Sed hoc loco *ξυνέηκε* conjungere cum *ἔριδι*, nisi fallor, non licet. Immo verba *ἔριδι μάχεσθαι* separari non possunt: addita enim voce *ἔριδι* verbum *μάχεσθαι* proprio sensu privatur. *Ἔριδι μάχεσθαί τινι* est: cum aliquo altercari. Plura de hoc loco Crusius attulit in annotationibus ad Iliadem. Eodem modo verba ea, quae exstant Hom. *Η*, 210., explicanda: quod vero legitur Υ, 66.: *ἔριδι ξυνιόντων* ejusdem generis est ac *συνελαύνειν ἔριδι*, quod supra attulimus. Homerus igitur duplici in his locutionibus dicendi ratione utitur. Quam in aliis quoque hujusmodi loquendi formulis probemus necesse est. Quod ut exemplo demonstrem, disseram de verbo *μίγνυσθαι*, quod haud raro reperitur apud Homerum. Et primum quidem cum dativo substantivi conjunctum significat: se immiscere alicui rei aut hominibus. Quo sensu verbum usurpatum est *Δ*, 354.: *μιγεὶς προμάχοισι.* E. 143.: *Τρώεσσι μιγῆναι.* *Γ*, 208.: *μιχθῆναι ἐν ἀγρομένοισιν.* Alia exempla reperies δ, 178. ι, 91. ε, 386. θ, 196. Ii autem loci, ubi verbo *μίγνυσθαι* coitus significatur, ad haec exempla referri possunt:

Φ, 143.: *Ποταμὸς αὐτῇ ἐμέμικτο.* — *Ο*, 430.: *Τὴν δ' αὖτε προσέειπεν ἀνήρ, ὅς ἐμίσγετο λάθρῃ*, ubi ad *ἐμίσγετο* ex voce *τήν* intelligendum est *αὐτῇ*. cf. η, 61.

α, 73.: *Θόωσα Ποσειδάωνι μιγεῖσα.*

Β, 232.: *ἠὲ γυναῖκα νέην, ἵνα μίσγεαι ἐν φιλότητι* (simul auditur *αὐτῇ*). — α, 432. 33.: *ἶσα δέ μιν κεδνῇ ἀλόχῳ τίεν ἐν μεγάροισιν, Εὐνῇ δ' οὔποτ' ἔμικτο* (intell. *αὐτῇ*).

Ζ, 165.: *ὅς μ' ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι* (*μ'* est *μοι*).

Ε, 160. 61.: *τῷ* (*Βελλεροφόντῃ*) *γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο μιγήμεναι κρυπταδίῃ φιλότητι.*

θ, 271.: *Ἥλιος ὅ σφ' ἐνόησε μιγαζομένους φιλότητι* (intell. *ἀλλήλοιν*).

Γ, 444. 45.: *ὅτε σε — ἔπλεον ἅρπαξας —, νήσῳ δ' ἐν Κρανάῃ ἐμίγην φιλότητι καὶ εὐνῇ* (ex *σε* intell. *σοι*). cf. O, 420.

ψ, 219.: (*Ἑλένη*) *ἀνδρὶ παρ' ἀλλοδαπῷ ἐμίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ.*

λ, 267. 68.: (*Ἀλκμήνη*) *ἣ Ἡρακλῆα γείνατο ἐν ἀγκοίνῃσι Διὸς μιγεῖσα.*

Quod dicendi genus vides consentire cum iis, quae repperimus O. I, 22. O. I, 78. N. 9, 31. Conjungitur enim verbum generis ejus, quod supra attulimus, cum substantivo abstracto: proprium autem est poetarum et maxime Graecorum, ut res eas, quae a sensibus sevocatae sunt, quasi externae sint et oculis conspici possint animo percipiant, artificum rationem secuti, qui, quam cogitatione complexi sint rerum speciem (quam *ἰδέαν* Graeci appellabant), lapidi quasi imprimant. Qua in re imprimis poetas epicos versari nemo est qui ignoret: Pindarus vero, quem in sententiis conformandis et in verbis transferendis constat audacissimum esse, etiam in hac re nova affert et inaudita eumque, quem Homerus retinet, modum excedere audet. Quo ex genere nobis multa displicent: veteres quae de Pindari ingenio et carminibus disputaverunt (paüca autem sunt eaque summatim exposita), ea in laude poetae omnia versantur[1]). Veteres fortasse in N. I, 17. et N. II, 22. magnificentiam quandam inesse putarent, nos aliter judicamus. Hoc enim loco

Quaeramus, quomodo haec exempla inter se cohaereant. Qua in re ab exemplis simplicioribus proficiscendum: est enim *μιγῆναί τινι* se alicui miscere. Tum dativi apponuntur *φιλότητι*, *εὐνῇ*, *εὐνῇ καὶ φιλότητι*, qui dativi modi vocari solent („jungi venereo complexu"). Equidem ex locis duobus, quos ultimos attuli, puto apparere, hos dativos proprie non dativos modi esse, sed has duas fuisse Homero locutiones: *μιγῆναί τινι* et *μιγῆναι φιλότητι, εὐνῇ κτλ.*, quas ille modo singulas, modo inter se conjunctas usurpaverit. Neque enim *ψ*, 219. *φιλότητι καὶ εὐνῇ* sunt dativi modi, sed apte conjuncti cum *ἐμίγη*, eodemque modo illud *ἐμίγη ἀνδρί κτλ.* dictum est ac *μισγέμεναι κακότητι καὶ ἄλγεσι*, *πελάζειν ὀδύνῃσι*, quae supra ex Homero attulimus. Deinde *λ*, 267. 68. verba *ἐν ἀγκοίνῃσι Διός* explanant vocem *μιγεῖσα*: neque enim licet putare ex voce *Διός* intelligendum esse Dativum *Διί* et simillimum esse locum iis, quos priores attulimus. Immo *ἐν ἀγκ. Διός* pendet ex *μιγεῖσα*, et comparandum est ad hunc locum *μιχθῆναι ἐν ἀγρομένοισι*, *Γ*, 299. Quod bene consentit cum ratione epicorum poetarum, quippe qui sensibus res subjicere studeant.

[1]) Apud Athenaeum (XIII. p. 564.) Pindarus *μεγαλοφωνότατος*, apud Statium (silv. IV. 7.) regnator lyricae cohortis vocatur. Eximia est laus Quintiliani (inst. or. X. 1.): „Novem lyricorum longe Pindarus princeps spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia velut quodam eloquentiae flumine, propter quae Horatius eum merito credidit nemini imitabilem." Dionysius (de vet. script. censura II, 5.) haec dicit: „*Ζηλωτὸς δὲ καὶ Πίνδαρος ὀνομάτων καὶ νοημάτων εἵνεκα καὶ μεγαλοπρεπείας καὶ τόνου καὶ περιουσίας καὶ κατασκευῆς καὶ δυνάμεως καὶ πικρίας μετὰ ἡδονῆς καὶ πυκνότητος καὶ σεμνότητος*" *κτλ.* cf. Horatium (carm. IV, 2.) admodum poaetam praedicantem.

iterum notandum est, quod supra diximus, Pindarum locutionibus permultis ita usum esse, ut in sententiarum nexum male insertae esse videantur. Bene enim dicitur: *κράτει προσέμιξε δεσπόταν* et *μεμίχθαι εὐλογίαις ἀστῶν*, sed quae legimus N. I, 17.: *μιχθεὶς φύλλοις χρ. κτλ.* et N. II, 22.: *ἔμιχθεν ὀκτὼ στεφάνοις*, certe molesta sunt et frigida. Causa autem haec est, cur illa nobis placeant, haec, quae modo attulimus, minus nobis probentur. Nam verbum *μιγνύναι* proprio sensu usurpatur de iis rebus, quas oculis cernimus. Pindarus vero dicit misceri homines cum iis rebus, quae sub sensus non cadant. Itaque ea res, quacum dicimur misceri, tamquam materia cogitanda est. Sed si quis dicitur *μιχθεὶς φύλλοις* vel *στεφάνοις*, tollitur haec jucunda translatio, quoniam *φύλλα* translato sensu nullo modo intelligi possunt. Abhorrent autem illae locutiones a rerum natura et asperrimae sunt et obscurrissimae (cf. Jacobs Nachtraege zu Sulzer p. 75.).

Proximus, quem tractandum proposuimus, locus exstat O. VI, 56. 57.:

Τὸ καὶ κατεφάμιξεν καλεῖσθαί μιν χρόνῳ σύμπαντι ματὴρ ἐπ. γ'. τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον. κτλ.

Quae verba ita interpretanda puto: „Mater divulgavit de ea causa (*τό*) (i. e. quod puer prima infantia violarum aureo fulgore perfusus inter virgulta stratus jacuerit) in aeternum illi. Nomen hoc dari (Iami), quod immortale factum est."

Ἀθάνατον enim judico non matrem dicere, sed Pindarum ipsum addere; Iami enim gentem immortalem fore Delphis Aepyto nuntiatum est. Itaque rem hoc modo fingas. Mater dolens animo ubi puerum pepererat, ibi eum reliquit: dei filium inopem dracones custodiunt. Sed Euadna desiderio pueri incensa consilium capit, ut illum servet. Reperit tenerum filium in aspero quidem arundineto, sed florum pulcherrimorum coloribus collustratum. Vehementer movetur animus matris et, quae viderat Euadna, ea memoriae inhaerent: itaque puerum, qui *ἴων ἀκτῖσι βεβρεγμένος* fuerat, Iamum vocat et, qua ratione nomen factum sit, ubique praedicat. Quae loci interpretatio simplex est et ex ipsa re petita.

Plane diversam interpretandi viam ingreditur Dissenius (comm. p. 67.). Qui quum interpretetur *κατεφάμιξεν* „pronuntiavit faustum verbum", ita, nisi fallor, locum intelligi vult:

„mater pronuntiavit faustum verbum puerum de ea causa hoc nomen habiturum immortale“. Ipsius autem Dissenii verba („sic igitur faustissimo nomine ornata gens juvenilem vitam habet“) declarant verbis illis, quibus *κατεφάμιξεν* explicat Dissenius, haec significari: „mater pronuntiavit verbum (h. e. palam verba fecit), nomini Iami secundum omen inesse praedicans; dixit enim illa de ea causa (quod inter violas stratus puer fuisset) immortale nomen fore Iami“ [1]).

Quo sensu si putamus Dissenium verba „pronuntiavit faustum verbum“ voluisse intelligi, hunc ille nexum sententiarum esse judicat: Euadna, postquam puero nomen Iami datum est, comperit ex Aepyto cecinisse Pythiam pueri, quem Euadna peperisset, gentem immortalem fore (Vs. 51.). Fidem habet mater vaticinio: ex ipsa pueri vita repetit ea, quae ad oraculi verba confirmanda idonea sint. „Non solum Pythiae verba“, E. inquit, „filio meo immortalitatem promiserunt: ipsum filii nomen stirpem Iamidarum nunquam interituram indicat. Nomen enim Iami cohaeret cum voce *ἴον*, *ἴων* autem *ἀκτῖσι βεβρεγμένος* filius parvulus a matre relictus sub divo jacuit. Sicut *ἴον* per totum annum floret, ita Iami mei progenies in aeternum gloria ac laude florebit.“

Ita fere Dissenius locum videtur interpretatus esse. Sed primo dubitandum, num liceat verbum *καταφημίζειν* eo sensu accipere, quem proponit Dissenius. Neque enim ex eo, quod *ἐπιφημίζεσθαι* „boni aut mali ominis verba alicui dicere“ et *φημίζεσθαι* „nomen dare“ significat, colligere licet *καταφημίζειν* esse „faustum verbum pronuntiare“. *καταφημίζειν* autem proprio sensu est f a m a m s p a r g e r e, tum significationem praebet dedicandi, consecrandi. Nec dubium est, quin hoc loco verbum sit d i v u l g a r e, p a l a m e n u n t i a r e. Deinde quomodo Dissenius matrem omen ex nomine quaesivisse interpretetur, omnino probari non potest. Dissenius ex Theophrasto (hist. plant. VI, p. 217. Schneider. [2]) annotat violam purpuream,

---

[1]) Quae Dissenius disputat de hoc loco quum obscuriora sint, quaenam fuerit ejus sententia non certe scio. Itaque alio modo fortasse Dissenius locum intellexit ac supra exposui.

[2]) *„τῶν δ᾽ ἀνθῶν τὸ μὲν πρῶτον ἐκφαίνεται τὸ λευκόϊον. ὅπου μὲν ὁ ἀὴρ μαλακώτερος εὐθὺς τοῦ χειμῶνος, ὅπου δὲ σκληρότερος ὕστερον, ἐνιαχοῦ δὲ τοῦ ἦρος — τὸ δὲ δὴ μέλαν ἴον δι᾽ ἐνιαυτοῦ θεραπείας τύγχανον* [διαμένει.]

quam poeta voce *παμπορφύροις* significat, per totum annum florere. Recte quidem, sed quod addit Theophrastus: *θεραπείας τύγχανον*, neglexit Dissenius. Theophrasti igitur tempore, si diligens cultus accedebat, hoc *μέλαν ἴον* flores per totum annum emittebat: dijudicari non potest, num Pindari tempore in ipso agro quaque anni aetate ab hominum cura remotum illud floruerit; nec magni momenti id est ad ea, quae aguntur. Nam ne tum quidem, si ponimus violam illam admodum gratam fuisse Graecis et propter colorum splendorem et quod flores nunquam deficerent, recte judicasse puto Dissenium matrem dicere voluisse: „violis semper florentibus continetur nomen filii mei.“ Quam sententiam si Pindarus Euadnae verbis subjicere voluit, pluribus eum verbis rem illustrare oportuit; sed uno verbo *ἴον* significasse poetam nominis immortalitatem non facile adducor ut credam. Et alia accedunt, quibus Dissenii sententia refutetur. Sive enim in ipsa Iamidarum familia de nominis origine quaedam tradita erant, sive Pindarus in Agesiae honorem finxit ea, quae de pueri Iami fortuna eximie narrat, hac una re Pindarus permotus est ad violas commemorandas, ut simpliciter ac jucunde Iamidarum nomen illustraretur. Quae loci amoenitas, si Dissenium sequimur, prorsus tollitur; non dubitandum est, quin, qui hosce versus audiebant, eadem intellexerint, quae supra a nobis exposita sunt, de violis per totum annum florentibus nullo modo cogitaverint.

Ἀθάνατον jam antea dixi non inter matris verba numerandum, sed a Pindaro ipso dici. Duplex autem ratio est interpretandi sententiarum nexus etiam tum, si eodem quo nos sensu *κατεφάμιξεν* intelligis. Fieri enim potest, ut sumamus matrem, quae Delphica vates cecinisset, eo tempore accepisse, quo filius nomine carebat. Tum hic loci sensus esset: „ubique mater praedicat, quod inter violas stratus puer repertus sit, in omne eum aevum hoc nomen accepisse, quod nunquam exstinctum iri Pythia praedixerit.“ Altera autem ratio haec est, ut putemus matrem ignaram vaticinii nomen dedisse; quae quum totius loci suavitati magis conveniat, praeferenda mihi esse videtur. Tum igitur ipse poeta vocem *ἀθάνατον* loquitur. Nec sunt quae impediant, quominus ita rem intelligas. Considerandum enim Pindarum Euadnam non ipsam loquentem fecisse, sed quae fere dixisset illa breviter comprehendisse: quam

ob rem interruptis quodammodo Euadnae verbis ipsum poetam quaedam adjicere licuit. Quod hoc maxime loco fieri potuit, quoniam verba *τοῦτ᾽ ὄνυμ᾽ ἀθάνατον* epodi initio dicta sunt. Quo fit, ut ab antecedentibus illa verba secernantur: itaque nihil obstare videtur, quominus ab ipso poeta verba dicta esse contendamus.

O. VI, 82. 83. leguntur haec:

Δόξαν ἔχω τιν᾽ ἐπὶ γλώσσᾳ ἀκόνας λιγυρᾶς
ἅ μ᾽ ἐθέλοντα προσέρπει καλλιρόοισι πνοαῖς.

Quo de loco uberius Heynius disputavit. Sententiarnm nexus hic est. Pindarus de suis ipsius rebus nihil huc usque locutus Thebas, patriam suam, cognatas esse cum Stymphalo urbe, ubi Iamidarum erant incunabula, ut dicat animi quodam impetu incitatur. Novi aliquid afferri et inopinati ex eo apparet, quod *δόξαν ἔχω* cum iis, quae antecedunt, nullo modo conjunctum est. Ipsa verba ita interpretor: „Sensum habeo quendam cotis acutum sonum edentis in lingua, qui flatibus pulchre fluentibus ad me adrepit volentem". De voce *ἀκόνη* quae a Boeckhio et Dissenio afferuntur, ad locum perspiciendum maxime idonea sunt. Metaphora autem a Pindaro usurpata quo contineatur liquet: ut culter tum solum idoneus est ad secandum, si cote exacutus est, ita ad poetae linguam cos esse dicitur, qua ad verba facienda illa apta fiat.

Dissenius autem, rejecta, quam libri optimi (Aed. Pal. Bodl. Gott.) praebent, lectione, *προσέλκει* in textum recepit et hoc modo locum interpretatur: „sensum habeo — qui volentem me impellit ad pulcrifluos cantus". Quae ita explicat Dissenius: „cogitatio cognationis Thebarum et Stymphali nunc est cos in lingua excitans eum ad novos cantus". Putat igitur ille Pindarum solum eo consilio mentionem fecisse Thebarum cognationis et Stymphali, ut ad Aeneam Stymphalium melius transire posset, quem cognatum et hospitem Agesiae fuisse Hermannus clare ostendit (notae ad Pind.). Sed ad Aeneam memorandum tota hac sententia Pindaro non opus fuit. Immo ita res sese habet: verba inde a *δόξαν ἔχω* usque ad *ὕμνον* in ipsum sententiarum nexum ita inserta videntur, ut cum aliis sententiis parum arto vinculo conjuncta sint. Antea diximus poetam in iis, quae antecedunt, solum de Agesiae rebus egisse Arcadiae vero nomine memorato Pindarus recordatur Stymphali,

qua occasione oblata Thebas et se ipsum paucis verbis praedicat. Quae vero sequuntur ὄτρυνον νῦν ἑταίρους κτλ., causa non est cur conjuncta ea esse cum antecedentibus probemus. Immo plane alia tractant, quod et ex ipso sensu et ex eo potest intelligi, quod sententia illa sine particula adjicitur.

Nec fieri potest, ut ex ipsis verbis δόξαν ἔχω κτλ. ea intelligantur, quae intelligi vult Dissenius. Neque enim cogitatio cognationis Thebarum et Stymphali cos est in lingua, sed ubi Arcadiam et Cyllenas montes memoravit poeta, sentit acui linguam ad ea dicenda, quae sequuntur: ματρομάτωρ ἐμά κτλ. Dissenius igitur, ad quae dicenda poeta sensu illo cotis commovetur, ea ipsa cotem esse putat, qua ad novos cantus Pindarus incitetur. Quod ipsis verbis repugnare satis perspicuum est. Dubitare quis possit, num προςέλκειν τινα κ. πνοαῖς Pindarum dixisse liceat credere. Sed posito hoc atque concesso non licet, nisi fallor, referre καλλιρόοισι πνοαῖς ad ea, quae sequuntur. Καλλιρόους enim πνοάς Dissenius putat ea esse, quae Pindarus de Aenea illo praedicat. Laudat ille quidem Aeneam, ἄγγελον ὀρθόν, Μοισᾶν σκύταλα, γλυκὺν κρητῆρα ἀοιδᾶν eum appellans, attamen haec non tanti momenti sunt, quae καλλ. πνοαί appellari possint. Optime vero καλλ. πνοαί referuntur ad ea, quae Pindarus usque ad versum 82 de Iamidarum fortuna et virtutibus laudavit: dum Arcadiae laudem Pindarus praedicat, sensus ille adrepit. Dissenius autem, si προςέρπει scribatur, putat inutilem ornatum esse καλλ. πνοαῖς, sed tantum ille abest ut recte judicaverit, ut necessaria illa verba videantur, cur sensus cotis linguam acuentis ad poetam accesserit.

Prorsus alio modo hunc, de quo agimus, locum interpretatus est Leop. Schmidtius in libro supra commemorato. Qui lectionem προςέλκει probans, commutata voce ἅ in ᾇ, interpunctionis signo, quod post vocem πνοαῖς poni solet, omisso, sententiae subjectum ματρομάτωρ accipit. Putat autem Aeneam istum fuisse poetam Stymphalicum, quocum Pindarus carminum pangendorum virtute concertaverit. Acta enim hac Pindari oda Aeneam cum choro suo carmen in honorem Junonis Partheniae cantasse (Vs. 88.). Fieri enim non posse, ut hujus Pindaricae odae choro praefuerit Aeneas. Sed neglexit Schmidtius saepissime Pindarum in ipsis carminibus chori mentionem facere eumque adhortari, ut haec et illa praedicet. Quo fit, ut

chorus, qui poetae carmen canit, se ipsum alloquatur. Quod quamquam ejusmodi est, ut a severo judice vituperetur, licet tamen poetas talia peccare, quae graviter tulisse auditores vix crediderim.

Neque intelligo, qua ratione fieri possit, ut verba inde ab *εἶπον δὲ μεμνᾶσθαι* habeantur ea, quibus Pindarus alienum poetam exhortetur, ut Syracusas et Hieronem laudibus efferat: nam hoc ipso carmine Pindarus mentionem fieri vult regis potentissimi et beatissimi, a quo ut amicissime accipiatur Agesias, poetae in optatis est.

Αἰνέα autem Schmidtio genitivus est, non vocativus: Pindarum enim putat carmen suum tamquam personam allocutum et adhortatum esse, ut Aeneam ejusque chorum ad canendum incitaret. Quod quin admodum quaesitum et molestum sit, quis est qui dubitet? Neque ex Pindaro possunt exempla afferri, quae, quod Schmidtius proposuit, illustrent. Alloquitur quidem poeta nonnunquam carmen, sed ita, ut statim intelligas. Hoc vero loco nihil additum, quod affari poetam carmen demonstret. Sed intcr ea, quae Schmidtii sententiae repugnant, hoc maximum est, quod verba *ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός κτλ.*, quum ad Pindari carmen ea referre Schmidtius coactus sit, bono sensu carent: neque enim perspicuum, qua de causa suum ipsius carmen Pindarus *ἄγγελον ὀρθόν* et *Μοισᾶν σκύταλα* appellaverit, quae ad unum Aeneam quadrant, quem internuntium Pindari et Agesiae fuisse supra attulimus.

Vocem *ἀκόνη* hoc modo interpretatur Schmidtius. Studet enim demonstrare Pindarum dicere voluisse: „Sensum quendam habeo stimuli in lingua, quo me libenter sequentem dulcibus cantuum flatibus allicit Stymphalica proavia.“ Hoc idem est atque: „Eo attrahor Stymphalum, quod poetae Stymphalici carmen mihi est incitamentum“. Sed *ἀκόνην* intelligere stimulum non licet: quamquam lexica fere omnia tradunt *ἀκονᾶν* saepius idem esse atque incitare, impellere. Aliud enim est acuör ad agendum aliquid, aliud impellor ad agendum aliquid. Ut exemplo utar, *παρακονᾶν ψυχὴν* interpretari debes animum ad fortitudinem exacuere, non incitare vel impellere animum. Tum ipsae res non quadrare videntur ad hanc interpretandi rationem. Stimulari sentit linguam suam poeta. Quam ad rem? Ad dicendum vel canendnm, nisi fallor, ut superet Pindarus poetam Stymphalicum illum, quo-

cum in certamen descendisse dictus est. Exspectes fore ut magni aliquid et praeclari addatur. Sed sequuntur alia: adhortatur Pindarus Aeneam illum, ut Junonem Partheniam et Syracusas bene praedicet. Quae inter se non concinere satis perspicuum est.

Confitendum in sententia illa, quae continetur versibus 82. 83., inesse aliquid inusitati: locus enim maxime idoneus est, qui, quam laudant, Pindari gravitatem et dignitatem accedere nonnunquam ad obscuritatem demonstrare possit. Sed Schmidtius tantum abest, ut infregerit difficultatem, ut auxisse eam videatur.

Magno usui est ad cognoscendum Pindari ingenium, quod ad nova fingenda maxime idoneum erat, quaerere, quibus variis modis unam eandemque notionem ille formaverit et quantum ad ea addiderit, quae a prioris aevi poetis tradita acceperat.

Videamus, si placet, qua ratione Pindarus vocem *ὀξύς* usurpaverit.

Proprio sensu vox reperitur N. IV, 63. P. IV, 213. (cf. P. IV, 263.). — Translato sensu vocem usurpatam vides N. X, 63.: *ὀξύτατον ὄμμα ἐπιχθονίων πάντων.* Quam quidem metaphoram ita explices oportet: oculorum obtutus comparatur sagittae acutae, quae quam in rem conjecta sit, in ea penitus inhaereat. O. II, 45., ubi *ὀξεῖ' Ἐριννὺς ἰδοῖσα* legitur, eandem vides translationem: sed audacior haec dictio, quippe qua, quod oculi proprium est, ad ipsum hominem transferatur (cf. Boeckh. Explic. ad hunc locum). O. VII, 70.: *ἀκτίνων ὀξειᾶν πατήρ* et O. III, 24.: *ὀξεῖαι αὐγαὶ ἁλίου*, acuti vocantur solis radii cum telis comparati. Tertium autem, quod dicunt, comparationis in eo versatur, quod et radii et tela, quos feriunt, iis molestias afferunt.

Quibus locis cognata sunt quae leguntur P. I, 20.: *χιὼν ὀξεῖα.* Nix enim radios emittit, qui oculos nostros pungere dicuntur. Quod Dissenius contulit cum gelu acuto (Horat. carm. I. 9, 3.): verumtamen haec comparare non licet, quod Pindarica locutio ad oculos solos, gelu acutum ad totum corpus referendum est.

N. IX, 35.: *ὀξεῖα ἀϋτή.* Aures hominum quasi *σκοπός* sunt, quem pugnae strepitus ferit.

Eodem modo jaculo Pindarus comparat morbum O. IX, 85.: ὀξείας νόσους ἀπαλάλκοι. Alio loco morbus onus grave vocatur (P. V, 59.).

Tum huc referendus est locus, qui exstat N. II, 48.: ὀξύτεραι μανίαι ἀπροσίκτων ἐρώτων (quae bene Boeckhius interpretatus est: „quae assequi non licet appetere, ea magna est insania"). Cui locutioni similis est Aeschylea haec, quae reperitur Prom. 881.: φρενοπληγεῖς μανίαι, insania qua mens percutitur (cf. Eurip. Alc. 406.).

Ex N. I, 53. Pindarum ex jaculis vel sagittis mittendis hanc dicendi rationem petiisse perspicuum. Legitur enim ὀξείαις ἀνίαισι τυπείς. P. III. 97.: ὀξείαις πάθαις θύγατρες ἐρήμωσαν κτλ., eandem comparationem reperimus: fortunae casus jaculorum instar feriunt homines et vulnerant.[1])

Audacissime Pindarus locutus est O. VI, 37.: ὀξείᾳ μελέτᾳ χόλον πιέσαις. Annotat Dissenius: „ὀξείᾳ, propter irae magnitudinem, acri studio". Adjiciendum est adjectivum ὀξύς cum participio πιέσαις apte conjunctum esse: Aepytus enim iram praepotentem studio quodam premere dicitur, quod, sicut sagitta haeret in hominis pectore et ipsum prosternit, ita perdomat iracundiam. Pari modo, quae leguntur O. XI, 9.: ἐπιμομφὰ ὀξεῖα, explicari possunt.

Quae adhuc attulimus de usu vocis ὀξύς, ad unam eandemque rationem redigi potuerunt. Aliter judicandum de O. IX, 91.: ὀξυρρεπεῖ δόλῳ, quod recte Boeckhius vertit: promptissima arte. Nihil enim quaerendum in voce ὀξυρρεπής praeter notionem celeritatis: quae quomodo ex propria vocis significatione nata sit, certe dici non potest.

O. XI, 21. legitur θήξαις δέ κε φύντ' ἀρετᾷ ποτὶ πελώριον ὁρμάσαι κλέος ἀνήρ, „acuens vero aliquis eum, qui natus virtuti est, ad ingentem gloriam efferet." Metaphora a cote sumpta esse videtur. Sicut enim cote, quod in ferro est sordidi et rubiginosi, adimitur et ex hebete illud acutum fit, ita animus Aenesidemi, ab Ila instituti atque eruditi ad pugilatum, liberatus est ab omni asperitate et acutus redditus ad πελώριον κλέος sibi parandum (cf. I. V, 73. et quae Dissenius

---

[1]) Conferre licet Cic. Fam. V. 16, 2. (tela fortunae) et Off. I, 21, 73.: „minus multa patent in alicujus vita quae fortuna feriat." In eadem translatione positum est nostrum: Schicksalsschlaege.

ibi annotavit). Interpretes simpliciter incitare vertunt *θήγειν*: quod quum ipsius verbi notione non contineatur, tum huic loco parum aptum est. Neque enim solum incitatur et impellitur Aenesidemus a magistro, ut artem illam exercitet, sed ipse Ilas clarum exemplum puero ad imitandum proponens ad pugilandum eum idoneum facere studet. Longe absunt ab hoc loco, quae leguntur Fr. 172, 3.: *κέντρον δὲ μάχας ὁ κρατιστεύων λόγος* (cf. quae ad O. VI, 82. de voce *ἀκόνη* diximus).

Vocis *ἀκμή* varia est apud Pindarum significatio. Proprio sensu vocem usurpatam vides P. I, 11. P. IX, 81. N. IV, 64. N. VI, 54. N. X, 60. Rem acutam Pindaro fortem quoque esse atque valentem jam antea vidimus; quo sensu vox legitur O. II, 63.: *χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ*, „manus robore". P. IV, 63.: *φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ*, „vigore veris". N. III, 39.: *ἀκμὴν φρενῶν φόβος ἔπαυσι.* cf. I. III, 69. Dignus qui memoretur locus est, qui exstat O. I, 48. 49.: *ἀμφὶ ὕδατος πυρὶ ζέοισαν ἀκμὰν μαχαίρᾳ τάμον κατὰ μέλη.* Verba enim mirum in modum sunt coartata nec longe absunt ab Aeschylea illa verborum contorquendorum ratione. Quo de loco quae Dissenius disputat, ea tum vera sunt, si praepositionem *ἀμφί* eo, quo solemus, sensu accipimus. Sed licet fortasse *κατέμνειν μέλη ἀμφὶ ὕδατος ἀκμάν* ita intelligere, ut sit: „membra dissecare et in aquam fervidam conjicere" (cf. de praepositione *ἀμφί* O. I, 97. II, 30.). *Ζέοισα* Pindarus conjunxit cum *ἀκμή*: ex sensu referendum videtur ad *ὕδωρ.* Licet dubitare, utrum *ἀκμή* hoc loco sit vis aquae aestuantis, an significetur summus fervor: quo quidem sensu vocem usurpatam reperis Thucyd. II, 42.

Eadem audacia Pindarus usus est O. I, 96. Hic dictione ornatissima virtus virorum ad certamina ineunda paratorum vocatur *ἀκμαὶ ἰσχύος θρασύπονοι.* Haec quoque verba memoriam afferunt Aeschylei ingenii: duplici autem ratione intelligi possunt. Aut ponendum *ἀκμάς* idem fere significare atque *ἰσχύν*, et Pindarum res cognatas coacervasse, aut *ἀκμάς* eodem sensu dictas esse, quo *κορυφή* apud Pindarum occurrit (exempli gratia N. IX, 9.), ut pars alicujus rei summa eaque optima intelligatur.

Haec fere ea sunt, quae de hoc Pindarico loquendi usu dici possunt.

Quorum multa jam apud Homerum reperimus. Ut singula nonnulla afferamus, legitur Hom. ε, 393. *P*, 675.: *ὀξὺ ὁρᾶν, δέρκεσθαι*. *P*, 372.: *αὐγὴ Ἠελίοιο ὀξεῖα* et simile quid *Ξ*, 345. O, 313.: *ὀξεῖα ἀϋτή* (*δριμεῖα* Schol.). Saepius *ὀξύς* cum verbis *βοᾶν*, *κωκύειν* conjunctum occurrit (cf. Hes. Sc. 233. 243.). Haud raro Homerus *ὀξύς* conjungit cum vocibus iis, quibus dolor, cura, alia significantur. *Λ*, 267.: *ὀδύναι ὀξεῖαι δῦνον μένος Ἀτρείδαο*. *Π*, 50.: *ὀξείαις ὀδύναις ἐλήλαται χείρ*. *T*, 125.: *τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν* (cf. Pind. N. I, 53.). *λ*, 208.: *ἐμοὶ δ' ἄχος ὀξὺ γενέσκετο κῆρόθι μᾶλλον*. *τ*, 517.: *μελεδῶνες ὀξεῖαι ἐρέθουσί με*. Quibus ex locis varios modos rerum cogitandarum facile cognosces. Nam quae ex Iliade allata sunt exempla, integram eam, qua nituntur, translationem servarunt, et comparatio doloris et jaculi missi perfecta atque absoluta est. Quae comparationis vis evanuit quodammodo *τ*, 517.: ea autem, quae leguntur *λ*, 208., redigenda quidem ad eandem translationem videntur, sed in ipsis verbis nihil exstat, quod demonstret ejusdem originis hanc dictionem esse atque ea, quae modo attulimus.

Nonnunquam apud Homerum *ὀξύς* de hominibus dictum est vehemens (B, 440.), quae significatio apud Pindarum non occurrit. Vocibus autem *θήγειν* et *ἀκμή* Homerus sensu translato non usus est.

Apparet ad locutiones Homericas Pindarum multa et nova addidisse. Quorum nonnulla apud Aeschylum et Sophoclem non reperiuntur, quum alia illi praebeant, quibus Pindarus non usus est.

Apud Aeschylum *ὀξύς* proprio sensu in adjectivis solum occurrit (*ὀξύπρωρος* Prom. 421. *ὀξύστομος* Prom. 667.). Tum legitur *ὀξὺ ἀϋτεῖν* Pers. 1015. *ὀξύμολπος* Sept. 1014. Irae autem notio adjectivis *ὀξύθυμος*, *ὀξυκάρδιος*, *ὀξυμήνιτος* inest, celeritatis voci *ὀξύχειρ*.

Prom. 311. sunt *λόγοι τεθηγμένοι* „verba acerba." *Ἀκμή* est „tempus opportunum" Pers. 399. Ag. 1326. — Eum. 348. *ἀκμή* nihil est nisi pondus.

Sophocles quum voce *ὀξύς* proprio sensu non usus sit, tum multa eorum, quae apud Pindarum reperimus, non habet. De sono usurpata vox est El. 727. Ant. 420. (cf. Tr. 959. Phil. 1082.): cum vocibus *γόοι*, *ᾠδαί* conjuncta Ant. 1300. El. 236. Ai. 618. Ad iram vox refertur Oed. C. 1195. Ant. 945. (cf.

Eur. Androm. 728.). *γλῶσσα τεθηγμένη* Ai. 584. significat verba acerba. *ἀκμή* propio sensu legitur Oed. R. 1034. 1243. vis atque robur *ἀκμή* est Oed. R. 741. 1492. Oed. C. 1068. opportunitas Phil. 12. El. 22. (cf. Eur. Herc. fur. 562.).

Restat ut de epithetis Pindaricis disseramus. Qua de re ut recte judicemus, proficiscendum videtur ab epica poesi.

Omnem enim Graecorum poesin quum positam esse in Homericis carminibus satis constet, tum maxime externum epici generis dicendi ornatum, quo sententias circumdarent, servarunt poetae, qui post Homerum vixerunt. Epica autem poesis quum ante oculos omnia ponere studeat, ut, quaecunque narrantur, ea quasi corporea fiant describantur atque depingantur, factum est, ut certo modo singulas res conformare atque delineare illa consueverit. Tantum enim abest hoc genus simplex et in ipsa rerum natura nixum, ut eandem rem multis modis variet et nunc ex hac, nunc ex illa parte describat, ut in ipsa, qua illa insignis est, tranquillitate constantia quaedam posita sit verborum ac sententiarum.

Huc pertinent epitheta illa quae vocant ornantia, quae cujusmodi sint exemplo illustrare liceat. Poeta enim epicus quum de nave loquitur, non navis solam notionem mente concipit, sed animo contemplatus singulam navem, incitato cursu mare percurrentem, nigram, inflexam, in utramque partem vacillantem, voci navis addit horum epithetorum unum. Quo fit, ut variis modis epitheta epici sermonis apponantur ad substantiva. Nam aut epitheton ad ipsam sententiam ita quadrat, ut colorem quendam illud rebus inducat. Aut supervacaneum epitheton nobis videtur: quod si fit, epitheton ornans vocari solet. Quorum epithetorum ornantium duo genera sunt: modo enim adjectivum ejusmodi est, ut novi quidem nihil addat, sententiam vero ipsam non turbet, modo plane abhorret ab ea, ad quam pertinet, sententia et ineptum nobis videtur. Legitur, ut exempla afferam, o. 471. 472.: — *ἐς λιμένα Ἔνθα Φοινίκων ἀνδρῶν ἦν ὠκύαλος νηῦς*, ubi *ὠκύαλος* solum ad ornandam vocem *νηῦς* additum et ad ipsam sententiam amplificandam nullius momenti est. *Γ*, 46.: *ἐν ποντοπόροισι νέεσσιν πόντον ἐπιπλώσας*, vides tautologiam esse eamque no-

bis paene molestam: *ποντοπόροισι* autem ne minimi quidem ponderis est, sed additum, quod proprium est navium, ut maria transgrediantur. *O*, 381. legitur: *ὥστε κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο νηὸς ὑπὲρ τοίχων καταβήσεται*, quo loco nobis ineptum videtur *εὐρύπορος*. Judicamus enim necesse esse ponatur *πολύφλοισβος* vel aliud ejusmodi adjectivum, quod ad sententiam illustrandam et vere ornandam valeat. Nam quod mare latum est et undique patens, nihil discriminis habet ad id, quod undae maris navis latera transeunt.

Quae quum ita sint, fieri potest, ut unum idemque epitheton hic optimo sensu dictum sit, illic vix tolerari possit.

Lyricum poetam non eadem ratione epitheta illa ornantia usurpare, ex ipso poesis genere perspicuum est. Epicum enim poetam, quae ex usu constituta et quasi sancita sunt, retinere oportet: lyricus, multis ex epico sermone rebus servatis, aliis rejectis, suo solius et proprio genere dicendi utitur. Pindarus autem iis maxime carminum locis, ubi fabulae antiquae narrantur, ex Homerica epithetorum ratione multa retinuit. Exempli gratia, ubi navibus Pindarus epitheta attribuit, tantummodo ornantia illa sunt, uno excepto loco (O. IX, 24.), ubi epitheton alicujus ponderis est: ita O. VI, 10. 101. O. XII, 3. P. I, 74. P. V, 81. N. VII, 29. Fr. 242, 3. Quod O. VI, 101.: *ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι*, maxime apparet, ubi adjectivum *θοός* cum *ναός* conjunctum nihil valet ad sensum, *χειμέριος* loci vim aliquantum auget (cf. Boeckh. Explic. ad O. VI, 72. sqq.). Miscuit Pindarus epitheta ornantia cum iis, quae aliquo modo definiunt substantiva: illa, ut dixi, plurima occurrunt, ubi Pindarus ad epicum sermonem prope accedit. Quam quidem legem poeta observat, sed multis locis perspicuum non est, quamobrem aut hoc aut illo epithetorum genere Pindarus usus sit [1]). Cujus rei nonnulla exempla afferam.

---

[1]) Eodem modo Simonides genera epithetorum conjuncta habet. Fr. 6, v. 2. Bgk. *ποταμοί* sunt *ἀέναοι* et eodem modo Fr. 121. [176.] flumen *Θέαιρος ἀέναος* vocatur; sed neutro loco ullius momenti est, quod flumen uno tenore fluit. Fr. 110. *ὠκυπόρων* nihil nisi epitheton ornans est. Quid enim interest, utrum ponatur illud adjectivum an adimatur, quum *πεζοί* iis opponantur, qui *ἐπὶ νηῶν ὠκυπόρων* sunt? Itidem Fr. 39. [46.] *τανυπτέρυγος* epitheton ornans: quo quidem loco fusius illud epicae poesis dicendi genus paene molestum est.

Homero *ἅλς* est *ἀτρύγετος*, *δῖα*, *πόντος οἴνοψ*, *πολύκλυστος*, *ἰχθυόεις*, *θάλασσα πολύφλοισβος*. Pindarus pontum *ἀκύμονα* vocat (Fr. 259.), *ἀμαιμάκετον* (P. I, 14.), *βαθύν* (P. III, 76.). Sed notandum vocem saepissime solam reperiri, epitheto non apposito, etiam iis locis, ubi aliae res ornatu quodam praeditae sint. Nec causa hic atque illic deest, cur epitheton non additum sit, ut I. I, 48., quo loco pontus solus positus est, ut verba *ὃν πόντος τρέφει* cum iis, quae antecedunt, aliquo modo consentiant. Eadem ratione de aliis locis judicandum est, ubi mare alii rei opponitur: *ἐν πόντῳ—ἐν ἅρμασι* I. IV, 5. — *ἐν πόντῳ—ἐν χέρσῳ* N. I, 63. O. XII, 3. — *γᾶν καὶ θάλασσαν* Fr. 70. — *ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ θαλάσσης* N. VI, 50. Conferenda sunt verba, quae P. IX, 47. exstant: *ὅσσα τε χθὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει χὡπόσαι ἐν θαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμαθοι κύμασιν ῥιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται*, quo ex loco perspicuum, si multae res enumerentur, epitheta Pindarum omittere. Neque enim alia causa est, cur haec ipsa verba Pindarus non exornaverit, quum in ceteris hujus carminis partibus substantiva epithetis permultis iisque praeclaris distincta sint (v. 1—16. 33—41.). Nonnunquam epitheti loco occurrit substantivum, quod ab alio substantivo pendeat, ut Fr. 241.: *ἀγλαὰ χθὼν πόντου τε ῥιπαί* (cf. N. X, 27.). Interdum obscura causa est, cur omissum sit epitheton; quo pertinet P. IV, 161.: *ἐκ πόντου ἔκ τε ματρυιᾶς ἀθέων βελέων*, ubi epitheton quoddam ad *πόντου* apponendum desideratur, ut haec duo membra inter se congruant. Cf. I. III, 59.: *ἐπὶ χθόνα πάγκαρπον καὶ διὰ πόντον* et P. IV, 195.

Ἅλς Pindaro ex usu Homerico est *πολιά* O. I, 71. P. II, 68. — *ἀμετρήτη* I. I, 37. — *βαθύκρημνος* I. III, 74. (cf. Boeckh. Explic. p. 508.). — *ἀβάτη* N. III, 22.[1])

P. V, 82. legitur: *ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ναυσὶ θοαῖς ἀνοίγων*. Quod vides cognatum esse notissimo illi Homerico generi dicendi: *ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα* (A, 312.). — *ποθὲν πλεῖτ' υγρὰ κέλευθα*; (γ, 71.). — *διέδραμον ἰχθυόεντα κέλευθα* (γ, 177.). Idonea autem haec sunt, unde, quod jam supra diximus, eluceat Homericas translationes ejusmodi esse, ut, quae nova exstiterint, quomodo ea nata sint, facile perspici possit, Pinda-

[1]) De elocutionibus *ἅλς ὑγρά* (O. VII, 69.) et *πέλαγος ὑγρόν* (P. IV, 40.) supra diximus.

rum autem non raro tamquam formulis loquendi uti iis, quae ex epico sermone sumpscrit. „Ut solidae terrae vias ingredior pedibus, ita per maris (humidi) semitas nave vehor." Haec est comparatio, qua nituntur loci illi Homerici, quorum quem tertio loco attulimus vides aliquantum discedere a prioribus duobus, quoniam in verbis nihil inest, quod ipsum mare indicet, nisi *ἰχθυόεις*, quod epitheton cum voce *κέλευθα* audacius conjunctum est. Longius ab Homerico illo genere dicendi abest, quod ex Pindaro supra attulimus: vides enim ex epitheto *βαθεῖαν*, quod additur ad *κέλευθον*, viae notione neglecta poetam solum de mari profundo cogitasse. Cujus rei exempla non raro occurrunt apud Pindarum. Legitur P. I, 24.: *φλὸξ κυλινδομένα ἐς βαθεῖαν πόντου πλάκα.* Vox autem *πλάξ*, qua uno hoc loco Pindarus usus est [1]), apud alios scriptores semper significat rem planam. Itaque judicandum planitiem maris a Pindaro vocari profundam. Dicet quis, ut Pindarum excuset, vocem *πλάξ* eadem ratione usurpatam esse qua latinum vocabulum a e q u o r, quod proprio significatu sit planities, tum ipsius maris loco ponatur. Recte qnidem, sed apud bonos scriptores ea semper epitheta reperies addita, quae cum priore verbi sensu conveniant: aequor altum, vastum, placidum, immensum, horridum (p r o f u n d u m aequor Curt. IV, 7, 11.).

De Pindaricis epithetis in universum disserere difficile. Quam rem si quis penitus pernoscere vult, singula quaeque Pindarici sermonis ei conferenda sunt cum aliis Graecorum poetis, maxime cum Homero et iis, qui Pindari aetate floruerunt, poetis lyricis et tragicis. Medius fere est Pindarus inter Homerum et Aeschylum. Longius enim quum ille absit a sana illa, qua epica poesis excellit, verborum eligendorum simplicitate, tum ad illam, quam in canticis tragoediarum Aeschylearum reperis epithetorum affluentiam, accedere non conatur Pindarus. Perspicua sunt epitheta et jucunda in iis maxime poematum partibus, ubi, quae fabulis antiquis nuntiantur, poeta

[1]) Non intelligo, quamobrem Jakobsius (Animadv. in epigr. Anth. VI, p. 180.) in Fr. 259. pro *ἐν πόντου πελάγει* legere velit *ἐν πόντου πλακί.* Neque enim ii, quos affert Jacobsius, loci (Pind. P. I, 24. Oppian. Hal. II, 186. Aristoph. Ran. 1486.) cogunt, ut locum mutemus, et *πελάγει* bonum habet sensum. Delphini enim multo melius dicuntur in profundo maris, quam in summa aqua cantum tibiarum amabilem audire. Contra in fragmento Arionis (Bergk. Poet. Lyr. p. 566.) vs. 15 *πλάξ* rectissime positum, quoniam delphini, ut servarent Arionem, in ipsa planitie nare coacti erant.

narrat, ut in carm. Olymp. sexto et Pyth. quarto. At quibus locis subtiliora atque difficiliora tractantur, ubi, quae fabulae docuerant, transferuntur ad ejus qui vicerat genus res fortunam, in prooemiis, in carminum parte extrema, ubi laudantur, admonentur, vitiis absterrentur ii, quos carmine celebrat poeta: hos, dico, locos reperies quum sententiarum tum verborum et praecipue epithetorum non modo gravitate atque amplitudine insignes, sed etiam obscuritatis plenos. Conjunctae enim saepius eae res sunt, quae qua ratione inter se cohaereant nullo modo perspicere possis. Altius igitur poetae ingenium se extulit, quam quo sequi nos liceat. Qua re ab iis, qui eadem aetate vixerunt, lyricis poetis aliquantum differt Pindarus: praecipue a Simonide, qui quum eam, quam ex ipsa vita et hominum consuetudine hauserat prudentiam, carminibus elocutus sit, sententiarum quidem sublimitate a Pindaro superatur, sed acutior est in verbis eligendis et in singulis ad singula aptandis distinctior.

THESES.

I.

Thuc. I, 1. 1. legendum puto: *τεκμαιρόμενος ὅτι ἀκμάζοντές τε ἦσαν ἐς αὐτὸν κτλ.*

II.

Sallust. Catil. III, 5. haec mihi probatur lectio: *quum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eademque quae ceteros fama atque invidia vexabat.*

III.

Contendere non licet plebejis expostulantibus Servium regem civitatis Romanae statum mutasse.

IV.

Gentiles Romanos sanguinis vinculo conjunctos fuisse statuamus non necesse est.

V.

„Non austeritas magistri tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur" (Quintil. instit. II, 2. 5.).